DIVINI AMORIS SVAVITATES,

SEV

Theologia Myſtica,

CONSCRIPTA

Per Admodum R. D.

FELICEM BACHOWSKI,
Decanum Collegiatæ Olicen:

Superiorum permiſſu.

Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus. *Pſal. 33.*

CRACOVIAE,
In Officina Schedeliana, S. R. M. Typ.
Anno Domini, 1682.

In Stemma Illustrissimi ac Reverendissimi D.D. Præsulis LVCEORIENSIS.



Præsuleæ, ternâ collucent lāpade Ceræ
Inde vibrāt stellæ, Luna sed inde faces
Ceris, addit Honor, dictas à Luce Tiaras
Conveniūt titulis Stémata avita Tuis

Illustrissimo ac Reverendissimo
DOMINO,
D. IOANNI
STANISLAO
à magna Witwica
WITWICKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPO LVCEORIEN:
ABBATI PLOCENSI, &c.
Domino & Patrono Colendissimo.

INeffabile prorsus est, Antistitũ nostræ ætatis decus haud vulgare, quantopere orthodoxi omnes Celsitudinẽ Tuam admirentur, obseruent, ac reuereantur, ob morum Tuorum candorem, grauitatem, fidei Catholicæ zelum, disciplinarum penè omnium incomparabilem, & admirabilem cognitionem.

tionem. Quis enim non solùm in latissimo Poloniæ Regno, verùm etiam & alijs Regnis & prouinciis? qui non intelligat in Celsitud. T. eruditionem singularem, nemini hoc sæculo comparandam, (ita ut scitis Licurgus cedat, & Solon tuis) nitorem sermonis, morum grauitatem, super gregem vigilantiam, optimo Præsule dignam. Quibus dotibus planè diuinis illustratus, omnium ferè hominũ oculos, mentesq; ad Tui admirationem amorẽq; mirificè quasi magnete attraxisti. Nec immeritò, cùm duæ res præcipuæ sint, quæ insignem ac propè diuinum hominem reddant: Doctrinarum Cognitio, & Actio virtutum: quarum altera mentem excolit & exornat, altera verò affectus componit & frænat. Eas in domicilio Tui sacri pectoris conspiciunt omnes; qui rectè de Republ: Christiana sentiunt. Quapropter non immeritò Tuæ Sapiẽtiæ, & pietati cõmissa est Christianæ Religionis propagan-

pagandæ cura, cuius prudẽtia explorata, altera Verona fidelis semper permãsit, in Religionis ChristianæRegniq; negotijs, cæterisq; rebus gravißimis, ac summè arduis effulsit. His benè consideratis difficilè est divinare anTiara Episcopat9 Luceorien: Tuam gentilitiã Lunam, an Tua Luna lucẽ Luceorien: Tiaræ illustrare ac condecorare videatur, maximè cùm Patria tota, & dignitatum maiora subsellia Tuæ Lunæ splẽdore illustrari examblãt: nec sine causa, siquidẽ Luna semper plena (in sola Norvegia) alibi verò crescens & decrescens necessario conspiciatur. Vnde terq; quaterq; felicem Tiaram & Diœcesim Luceorien: dixerim, quod tantum & talem nacta sit Pastorem. Cuius Luna Soli etiã ipsi cõparãda, juxta effatũ Prophetæ. Erit lux Lunæ ut lumen Solis.. Iam ergo vive optime Præsul Patriæ, Ecclesiæ, Tibi, Tuis, tamdiu: donec Luna Tua totum compleat Orbem, ac me Clien-

tem,

tem, ſub Tuis *auſpicijs, non Gymnoſophiſtarum dogmata, non meteora Ariſtotelis, non Herculis panoplias, ſed ſupparum* Divini Amoris Suavitates *explicans proferentem Celſitud: Tua, & luci, Paſtorali & Paterna benignitate proſequi, ac meæ lucubrationi benedicere (quod obnixè rogo) digneris.*

Illuſtriſsimæ ac Reverendiſſimæ Dominationis Tuæ

In Chriſto Servus,

Felix Bachowski,
Decanus Olicen:

S. MARIÆ MAGDALENÆ

quæ multum dilexit,
Mulieri plusquam Virgini prudenti:
Corporis, Passionis, Sãgvinis, Sepulchri Christi
CVSTODI.
Apostolæ Massiliæ, Concionatrici salutiferæ,
Cælorum Delicio, Angelorum Cõsodali, Apostolorum Nunciatrici, Vngventariæ Christi,
INCORPORATO SERAPHINO.
Anachoretarum Primiceriæ, Christum quærenti Hortulanæ, Amatrici advitali, Verbum audientium Exemplari, Amoris
ORACVLO.
Ordinis Prædicatorum singulari PATRONÆ,
& studij Generalis Centũ Fratrum Narbonæ
FVNDATRICI.
Pœnitentium Magistræ, Lugentium peccata
Organo,
Doctorum Antesignanæ,
Humilitatis Professori, Thesauro abscondito,
Optimæ partis prudenti Electrici,
Miraculorum Patratrici,
ac totius Orbis
MIRACVLO.

Autor hoc Hecatombem extruxit, ac in Eius memoriam dedicauit, & consecrauit.

AD LECTOREM.

EA est humanæ conditionis miseria & fragilitas, ut proni sint sensus hominis ab adolescentia sua, & cuncta cogitatio cordis ad malum. *Genes*: 8. Sed infecta radice frustra bonus fructus sperandus. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, Matthæi 7. misera nostra natura in causa. *Non sumus enim ex nobis sufficientes quasi ex nobis, aliquid boni etiam cogitare*: sed *sufficientia nostra ex Deo*. 2. Corint. Hac fragilitate considerata quidam exclamavit. Cùm sim imago Dei, cur in cæno vitiorum voliter. Et alter insolubilis quæstio: cur homo semper illicitis delectatur? nec mirum, nam in natura humana. *Quod animale prius est, spirituale autem posterius*. Corinth. 1. Nonnè prius Ismael quàm Isaac natus. Esau quã Iacob. Fratres quàm Ioseph: primi etenim erant naturaliter; postremi supernaturaliter geniti, sed licet primogeniti fuerint. Iuniorum tamen erant addicti servitijs. Ita etiam & in nobis, non statim nascitur & dominatur Amor Dei, sed primò (nemine contradicente) profanus, vltimo verò genitus amor Dei. Hæc mihi consideranti, accessit àdmonitio S. Antonij, qui dixit: *Frater salutis tuæ curam geras, nam certè nec Deus, neque ego unquam tibi consulere poterimus.* Exinde scopebam spiritum meum, & attraxi gemens profusis lachrymis. Adesto mihi peccatori Domine Deus meus, Te invoco desideratissimè, ad te in toto Corde clamo, intra me, possidc, occupa, excita, da Spiritum Compunctionis. Et quoniam ex me non sufficio. Spiritus tuus loquatur in me, ipse imperfectum meum perficiat, qui os Caiphæ peccatoris in verba prophetiæ aperuit. & sermonem protulit, per os bruti animalis Da amorem tuum desideranti, quem peto, quæro, exopto, suspiro, & salva me. Amor tuus enim est medium universale salutis.

CAPUT

CAPUT I.

Desideria animæ, DEUM *amantis*.

O Sancte & Divine SPIRITUS! ô amor æterne, Patris & Filii! Esto infantiæ meæ propitius; & illumina tenebras mētis meæ. AmareTe desidero, adauge Desiderium, & da Teipsum mihi; quia Amo Te; Etsi parum est, da ut amem intēsiùs. Mens mea Tibi suspirat, Cor ardet, animus gaudet, memoria viget. Heu me! Quantum Amor generat in me Desiderium, gliscit ardore, ardor ad incōcessa pertendit, exoptat, recogitat. O Deus meus! Anima mea, magis Te, quàm ipsum Regnum cœlorum amat, & desiderat; ad Te aspirat, & suspirat. Et dum Amorem Tuum Desidero, quid mecum fit, quo in loco sunt res meæ? quo animam meam affectus, & intentiones rapuerunt? Medullitùs sitit & ardet Cor meum. DEUS Cordis mei unice Amor, velis me singulari Tuo amore complecti, ut Majestati Tuæ non vulgariter placeam: nam, cuncta desideria dilatione crescunt. Vel si placet obsecro, occide me Charitate tuâ, ut nunquā à sanctissimis pedibus tuis posthac discedam, utq; totus Spiritus meus ex desiderio accensus, in invisibilium amorem rapiatur.

 O Domi-

O Domine! quomodo præ Desiderio tui deficit anima mea, arescit, profundissimè suspirat, miserum in modum tabescit.

Desiderium etenim, est quædam progressio, in amore, & clamor magnus in auribus DEVS tuis. Desideriũ est vehemẽs, in se insatiabile, stabile, seu immotum, âc permanens.

Et tu ista vides. Dilationẽ ei imponis, ut dilato Amoris desiderio meritum augeatur. Sed ô Domine vide, quia Cor meum tanquàm Cera liquescens in medio ventris mei. Desiderium enim est, perpetuum Cordis Martyrium, imo Tyrannus triumphans in semetipso, & animam, ac omnia interiora ejus in captivitatem redigens, & depascens.

Idcircò & flentis Magdalenæ solum Amorem respexisti, & approbâsti. Non enim dixisti: Dimittuntur ei peccata, quia flevit multum. Humiliata est multum. Contritionem multam video. Vnguenta pretiosa effusa multa. Corpus suum contempsit multum &c. Sed solùm. *Quia dilexit multum.* Marc: 2. ℣. 9.

O Domine scio, quia non merui, quantùm debitor sum te amare, utiq; saltem desidero, quantùm debeo. Tu adauge desiderium, & da quod peto, & doce me, ut amem quantum debeo, aut saltem desiderem plus, ultra.

Heu quis dabit Cordi meo; ut voto potiatur suo, possitq; explere desiderium Amore tuo!

O vos Sancti Cœli Incolæ, una mecum & pro me pre-

me preces effundite Domino, ut cognoſcam perfectè quid ſit Amor!

Benedictus ille à Domino, qui prodijt in mundum, & qui tui amator eſt, & appellatur.

Felix & illa Sponſa, quæ amore tuo ſauciatũ Cor habens, non potuit intra ſphæram interiorum illum continere, ſed etiam alijs illicò indicavit dicens. *Læva eius ſub capite meo, & dextera illius amplexábitur me.* Cantic: 2 ℣. 6.

Nunc agnoſco; quàm miſeri ſunt mundi homines, qui Cor ſuum mundi vanitatibus, & amoribus dedicarunt, & Divinum poſtponunt: Amores enim mundi, nihil ſunt aliud, niſi temporis jactura, verba in ventũ jacta, manus vacua, perexigua dulcedo.

Heu me infelicem, quod Cor meum non perpetuò tibi dicavi, & non in te occupavi.

Ah Cor meum! Eja jam! pelle torporem, fac periculum, utrumne vel ante ſupremum diem tuum, poſſis eò pertingere; ut illius Amorem experiaris.

Heu me miſerum, quòd Cor meum, non perpetuò te amplectitur, amat, & tecum occupatur, & te deſiderat. Et maximè ideò; quia Deſideriũ Actio eſt activa, fœcunda, fertilis, quæ excitat, invitat, & urget ad Amorem. Et quod caput eſt Deſiderium tui duos affectus in me producit, ſeu mea voluntate alterum, quia expectat à te fruitionem ſupremæ fælicitatis: alterum quia ad te aſpirat, & ad ſanctam fruitionem, quam tu ei

inſpiras. Exinde ſperare, aſpirare, & inſpirare unita ſunt.

Nam nõ ſperam⁹ ſine aſpiratione, nec obtinemus quod ſperamus, ſine tua Dñe inſpiratione.

Præterea Deſiderium eſt appetitus, concupiſcentia, ſeu cupiditas rerum, quas nõ poſſidemus, tamen habere prætendimus.

Nihil enim deſideramus, niſi quod amamus; & nihil amamus, quod non deſideramus. unde quidam, nemo te Domine amat, niſi qui videt, & nemo te videt, niſi qui amat. O me miſerum! quia ſerò te amare deſidero, pulchritudo tàm antiqua, & nova ſerò etiam te amavi. Væ tempori illi, quando te non amavi!

O vide Domine & conſidera, quia Deſideriũ lædit Cor meum, quod excitat, & dum non poteſt adimpleri, magnoperè affligit animam. Anima enim ex ſe non poteſt amare quantum deſiderat: Cor ſiquidem deſiderat DEVM infinitè amare. Porrò hoc Deſiderium, quod non poteſt expleri, Generoſo amatori velut jaculum lateri infigit.

Quamvis & iſte dolor qui ex Deſiderio oritur, non ideò ceſſat eſſe amabilis. Quia quicunque deſiderat DEVM benè amare: amat etiam benè deſiderare.

Maximè cùm cujuslibet boni Chriſtiani vita ſit S. Deſiderium: deſiderat enim quod nõ videt, & deſiderando capax efficitur. aliàs is omnium miſerrimus eſſet, & æſtimaretur, ſi continuò deſideraret amare id, quod eſt ſummè omnibus amabile, & non inveniret. O uti-

O utinam possim te Cordi meo inscribere, & inter intimas ejus medullas aureis literis eliquare, ne ulla Desiderium meum deleret oblivio, aut vetustas exturbaret.

Siquidem ipsi Incolæ Cœlestes Angeli S. desiderio majoris Amoris semper æstuant. O quòd ego miser viator, non patiar Desiderium? tot motivis desideriorum accensus.

O quàm vehemens (dicam jam) pœna desiderij: jam me etenim siti arescentem ut Belides juxta aquas: & juxta cibos gratiæ ut Tantalum fame tabescentē: relinquis † *Spes quæ differtur affligit animam.* protracta morbus est. Ideò & Rutilia Matrona Romana in exiliū missum filium maluit sequi, omnibus bonis postpositis: quàm continuum desiderium pati.

Incolæ Cœli, videntes DEVM amabiliorem esse, quàm ament animo deficerēt, & æternùm perirent Desiderio magis ac magis amandi DEVM: nisi sanctissima tua voluntas impertiret illorum voluntati admirabilem quietem: alias etiam horum Amor esset deliciosus & dolorosus. Deliciosus, ob possessionem tanti boni: Dolorosus, ob summum Desiderium.

O utinam & mihi liceret in hac vita inchoare, quod in æterna est actitandum continuum te amandi studium! Conatum assumam & prosequar tàm ferventer, ut ne ad momentum quidem à tui amore (in quantum possibile est) recedam.

† *Prov:* 13. ℣. 2.

O Cor meum, utinam ſis elevatum à terrenis ad ſuperna! & immerſum in Deo, per cõtinuas cogitationes in ſanctiſſima & glorioſſima æternitate, necnon & per Reſignationes, ut alacri animo ſemper cantare poſſis. *Quemadmodum* (ſitiens) *deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Pſal: 41. ℣. 1.

Quanto enim quiſq; tibi eſt familiarior, tantò te ſentit amabiliorem.

O ſupreme Cordis mei amator IESV! quòd unquam Cor ſat piè & dignè poteſt te amare, laudare, & deſiderare?

Quocirca, cur tantoperè properas cœlum, quid, & quorſum, curſum tuum acceleras? ſiſte pauliſper gradum: donec unicè charum atq; ſuaviſſimum Dominum meum, pro Cordis affectu quomodo libet amore proſequar.

Siquidem Amor & Deſiderium unum ſunt, unum quoque & dici poſſunt; unum, quia amor generat deſiderium & extingvit, excitat & ſatiat, inflammat & ſedat. Et ſicut Sol & ejus radij unum ſunt, Ignis & calor, Anima & ſenſus; ita Amor & Deſiderium.

Hujus mellei amoris ingenti madidus ſuavitate clamabat Pſaltes. † *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte;* non dicit: fuerunt mihi potus, materia aquoſa, potiùs dicenda quàm panis. Quis unquam vidit aqueum panem? Falleris præ amore S. Propheta, dum lachrymas cibum vocas? Multus te amor uſque ad mendacij peccatum traxit. Sed

† *Pſal:* 41. ℣. 4.

xit. Sed minimè. Ideo his verbis sitim amoris exprimit: & potentiã: quasi diceret, Lachrymæ amoris, velut quidam panis dulcis; melleus compunctis earũ usus, sitim provocat; quò plùs eis vacabam, eò ardentiùs eas sitiebam, & quò plùs manducabam, plùs desiderabam.

O amor Domini mei! sis mater, nutrix, & domina Cordis mei: Excita amore tuo majora desideria, & extingve profluente gratiarum tuarum irroratione. Excitet amor desiderium, urgeat aqua ignem, unda flammam, multiplicet flamma undam, regnet in me tam concors discordia, & duo unum sint.

Geratur hîc divini Agricolæ species, plena omni calore germinent, humore nutriantur; quia parens DEVS ignis & aquæ commercio nos germinat, & enutrit: quorum semper tanto ardet, calet, exæstuat affectu. O Domine, utinam ita mihi fiat sicut Abrahæ, cui promissum filium toties differebas dare, ne desiderium nimia dilatione fatisceret? ut quo magis differebatur magis & ampliùs desideraret, & concupisceret. Iterasti ejus sponsionem, & differebas dationem; ut iterata sponsio ultra vires non fineret fatigari, & dilata dilectio faceret avidiùs expectari.

Taliter me quoq; donis alijs beatificas, ut fastidia dilationis auferas, & mitiges Spei ardores: Exinde es mihi Corona spei, es cruciatus, immensus dolor, insuper martyrium flagranti desiderio, expectatio longiturna. Eheu Domine, quid

quid me affligis expectatione, quam vel ipse perferre non potes?

Dum enim ad prandium invitasti hospites nuptiarum, nuntiasti eis, Prandium paravi, altilia mea occisa, omnia jam parata, venite ad nuptias: non vocasti eos simpliciter, verùm omnia iam parata denũtians, ne expectans, pœnam desiderij pertulisses. Plus enim ponderis habet dolor desiderij præsentis, quàm gaudium boni futuri.

Non absimiliter fecisti, cùm angeretur anima Judæ desiderio tradendi Filium hominis: vidisti ejus futuram mortem æternam, vidisti cruciatũ: & tamen postposita morte æterna, desiderio eius satis fieri permisisti, dicẽs: † *Quod facis, fac citiùs.* quo pacto demonstrasti majus malum esse desiderium vehemens, & ejus cruciatum; quàm ipsam mortem: Et quid Ioannes gloriosam præsentiã tuam sentiens, adhuc in utero cur saltabat? & tanquam injustam custodiam quatiebat matricem, in claustra naturæ insultabat calcibus, & clausis labijs vociferabatur figuris. O si Ioannes adhuc in utero martyr, quia divisus à te, quidni ego lugeam (Devs me amet!) miser, quis enim carnifex tam crudeliter affligere potest, quàm vicinitas boni propinqui, nam amare & non intensè Devm, nec voto posse frui, hoc est esse martyrẽ, & omniũ tormentorum crudelius tormentum perferre.

Eapropter valentiores voces apud secretissimas aures Dei, non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam enim vitam si ore non petimus, sed cor-

† *Ioann:* 13. ℣. 27.

sed corde desideramus; ore tacemus, sed tacentes clamamus, iuxta illud

Non Vox, sed Votum, non modula Musica, sed Cor,
Non clamor, sed Amor, sonat in aure DEI.

O Domine vide & considera, tu qui scrutaris corda, tu scis quid desideret Spiritus. Quod etiamsi tempore acceleratur, desiderio tardum videtur.

Desiderium præcedens compræhensionē rei, magis est dolor, quam voluptas, quis mihi det ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Dominus? ante eum enim est omne desiderium meum. Idcirco non modò nomen, sed etiam memoriale tuum in desiderio animæ meæ.

Etenim Desiderium est motus appetitus in amabile, & inchoatio amoris; & quò diutius abest, quod desideratur, tantò expectantis desideria majori quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur, & augetur.

Eheu! quot atomi in lucidis Solis radijs volitant? utinam tot in me sentirem amoris tui jacula, & desideria, incendia, fervores.

Iam etenim sordet terra, dum intueor cœlū. Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram. Ibi est amor IESVS: hic exilium, & naufragium animarum.

Tu es ipse illud, quod specto, volo, diligo, desidero, & semper quæro. Illum dilige anima, qui omnibus recedentibus, te non derelinquet, nec patiatur perire.

Ille est dilectus meus talis naturæ, qui solus vult Cor meum habere, & tanquam Rex in throno, sic ille in Centro ejus dominari. Domine mi, charitatis tuæ jaculo vulneratus sum, tui desiderio æstuo: nec quæro aliud Dictamnum contra sagittam Amoris tui: nisi temetipsum. Semper is quæritur, qui semper amatur.

Et ille est solus beatus, qui scit, quid sit amare IESVM. IESVS amari vult super omnia, & in Infinitum à parte post.

O Domine siquidem Cor meum amat te! Cur ergo non rapior à te? hoc siquidem est unicum desiderium meum.

Cur me ô Magnes æterne non trahis ad te? ut curram inhærens vestigiis tuorum attractuum, ut me intra brachia tua vibrem, ne me inde, ulla unquam abstrahant sæcula.

Ah Domine! quando ero tecum, totus unitus, absorptus, meiq; totaliter oblitus? Tu es enim Dilectus meus, in quo complacuit animæ meæ omnibus diebus vitæ meæ habitare; quando igitur promissum tuum adimplebis, & esurientem satiabis amore?

Si videmus in Luna, quantò magis longior à Sole, tantò magis claret, unde quidam dixit: Eò elegantior, quò elongatior. Vtinam id contingat animæ meæ, in hac lachrymarum valle peregrinanti. Quò est longiùs à visione tua eò magis desiderio clareat, & lucescat in conspectu tuo amore.

Nec mi-

Nec mirum, quia, Amatrix tua Sponsa languẽs amore, plena lachrymarum, plena sollicitudinis, tota quanta anxia, jam huc jam illuc vadit, eò, quòd non tam citò reperiat suum Dilectũ, quem quærens volebat. Amor boni amanti desideria in illa crearat; desiderium autem produxerat ingentem persecutionis illius ardorem, ardor verò langvorem, qui ejus afflictum Cor exinanivisset, consummassetque, nisi spem aliquam concepisset, tandem aliquando reperiendi id, quod anhelans persequebatur, & desiderabat.

Haud absimiliter & ego miser amore langveo ò quàm enim ardẽtia amoris tui desideria? quàm inflammatos sermones? quanta incendia? quantos ardores? quãtas dulcedines? ambrosias? quãtos excessus? quantas ebrietates? generat. Quot sagittis vulnerat & penè conficit Cor meum? hic Amor langvẽs, Seraphicus, & fruitivus. O quàm benè dixit quidam. O mortales, amate Amorẽ vos æternaliter amantem. Iam ergo Domine, dic mihi misero cùm sis misericors. Quando te diligam? quando amoris brachijs stringam. Num enim non perspicis, *me nihil aliud maiori studio quærere, nec alterius rei ardẽtiori flamma flagrare cupiditate, quàm tui Amoris?* Aufer à me cætera omnia, & da mihi tuum duntaxat amorẽ, eoq; Cor meum succende, inflamma: hic enim mihi solus sufficit. O magne DEVS amoris! quando Desiderium meũ adimplebis? quando ardebo amore tuo Divino quemadmodum fornax, fax, vel lampas accensa?

censa? quando consumentur interiora mea, ab igne Amoris tui, non aliter atq; cera ab igne, & nubes à Sole? O quando ista facies? Siccine me semper vacuum, langvidum, ac penè præ desiderio amoris tui exangvem & morientem intueberis? Quando tandem Domine desideria mea sedabis, ac satiabis? Quando Domine, quando aderit hoc, quando ô DEUS Cordis mei, & vita mea? Quando, quando, quando, dicam æstuās? † *Inveni quem diligit anima mea?* Quādo dicā fessus. *Sub umbra illius, quem desideraverā sedi: & fructus eius dulcis est gutturi meo.* Cant: 2. ℣,3.

CAPUT II.

Suspiria Amantis.

O DEUS Amor meus, Anima mea, ad te indies suspirat & aspirat, requirit, quia æternum te elegit. Clamans & gemēs; Vivat IESUS in Corde meo, anima, mente, quia amo eum. O quis mihi dabit, aut amare IESUM, aut mori Amori!

O summi boni mare! da mihi in te per amorem intrare, in te manere, & à te nunquā exire, id est de te cogitare, ex te vivere, satiari, dies noctesque ad te aspirare, in te delectari, meditari, suaviari. Perdit enim quod vivit, qui te DEUM non diligit.

Obsecro per viscera misericordiæ tuæ, jube

† *Cant:* 3. ℣.4.

pulsan-

pulſanti miſero viatori, ad te ſuſpiranti, aperiri.

Iam ergo audi me lumen oculorum meorum, & da quod peto, nam ſi deſpicis ecce pereo, ſi reſpicis vivo. Si juſtitiam requiris, fœteo. Omnes enim juſtitiæ noſtræ ſicut pannus menſtruatæ. Si cum miſericordia reſpicis: fœtentem, uti Lazarum de ſepulchro ſuſcitas.

Heu me miſerum ad te amandum adeſt voluntas, & non eſt facultas, & perſæpe adeſt facultas, & non eſt voluntas!

Aſſumat Spiritus meus pennas Aquilæ, ut volet & perveniat ad decorem domus tuæ, & ibi ſuper menſam Amoris paſcatur in loco paſc æ, ſuper fluenta dulcedinis tuæ pleniſsima.

Ah! quando tantùm DEO, quantùm mundo? quando tantùm cœlo, quantùm terræ, quando tantùm virtuti, quantùm vitijs fragilitas humana famulatur! totus homo ſic carni deditus, ut nihil in ſe quod divinis bonis deſerviat: relinquat.

Abſorbeat me vis amoris tui, ut amore amoris tui, mundo. & mihi moriar, quia tu amore mei, dignatus es mori.

O DEVS meus, Tu es mihi omnia, Tu es vita animæ meæ, Tu dilectus & electus ex millib.

Quis mihi igitur dabit, ut Cor meum moriatur propter te, & in me n[illegible] vivat, niſi tibi? O amare, in amore progredi, m[illegible] ſibi, vivere Deo, amare, & eſſe in DEO. DEVS meus, omne quod tu non es, nihil mihi eſt, nam te ſolum de-

ſide-

fiderat, & ad te ſuſpirat anima mea.

Duo etenim ſunt præcipua tui amoris Exercitia: unum affectivum, alterum effectivum, ſeu activum. Illud nos jungit bonitati Divinæ, ut ei placeamus, & amplectamur, id quod Deo meo placet, & ex mente & Deo credentes unum Spiritum coaleſcere.

Iſtud tuæ voluntati ut eam exequamur, & replet Complacentia, Orationibus jaculatorijs, votis, ſuſpiriis, deſideriis, & omnis generis ardoribus.

Heu! quis mihi dabit? quot ſunt guttæ maris, graminum herbulæ, ut tot ex ore meo prodirent ſuſpiria? Indignus quidem Domine, qui te amē, ſed totus deſiderio inflammatus. Vtinam inſtar innumerabilium ſplendore micantium ſtellarum, & omnigenis floribus Vere vernantiſſimo Cor meum luceret, ſplendeſceret, & floreret ſuſpiriis. Vtinam liceret mihi, toto cœlo aperire, id, quod lucet in corde meo, & præ flamma Amoris tui liquefieri, & ad te aſpirare & ſuſpirare

Quis enim explicare poteſt, quàm amabilis & formoſus es Domine, qui es omnis formoſitatis & pulchritudinis, deniq; amoris fons & abyſſus. Tu ſiquidem omnes ſummos Spiritus, & puriſsimas ſubſtantias ineffabiliter & in infinitum excedis. Reſpice nunc miſeram animam meam, & vide quomodo concaluit Cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis & innumera ſuſpiria.

O me

O me miſerum Viatorem! non potes enim à me concipi, niſi per ſpeciem pulchritudinis. ut video. In amore, non vivitur ſine dolore.

O Domine! ſi vis, potes mea ſuſpiria ſedare, & me amore ſatiare, ego autem etſi vellem non poſſum, niſi tu velis, nec quod volo poſſum niſi tu adjuves. Moveant te ergo ſuſpiria mea.

Heu me miſerum, dum me currere, & in amore profeciſſe credebam Ecce ibi magis cecidi, & perij. Et quando jam conſequuturum ſperabam, eò magis elongatum eſt à me meum deſiderium.

Heu nimiam cæcitatē meam, quâ hactenus laboravi. Decerpſi roſas nec tamen odorem illarum ſenſi Inter medios ambulavi flores, eoſque elegantiſſimos minimè intuitus ſum. Suavi cœli perfuſus rore, nihilomin' frutex aridus fui. Medijs Cordis faucibus amoris tui balſamum præclarum retinebam, nec me dignè ad te habui. Vnde, Dicamne miſer, quia jam proijcis me à facie tua, an ſatiùs? *Bonum, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.* Pſalm: 118 ℣. 71.

O Bonitas dulcedinis infinitæ! quàm amabilis mihi eſt tua voluntas, quàm deſiderabiles tui favores. Creaſti me pro Te, & ad vitam æternā & maternum tuum pectus, turgefactum ſacris uberibus incomparabilis amoris abundat lacte miſericordiæ, ſive ad parcendum pœnitentibus, ſive ad conſummandos juſtos, in omni perfectionis genere. Quare igitur non conglutinamus homines no-

nes noſtras voluntates cum tua, & parvulorũ inſtar applicatorum mamillis matrum, lac benedictionum æternarum famelici non ſugimus.

Te deſiderant Angeli videre viſione gratâ & deliciosâ, & licet eos ſaturet complacentia, ſed minimè ſublato deſiderio, quin imò eos facit deſiderare, non imminuta fruitione per deſiderium, ſed potius adaucta. Nam nec eorum deſideriũ ſuffocatur per fruitionem, ſed in ſuptilius transformatur.

Sed, proh dolor! Cor meum te amare non ſufficit, excedit enim omnem ſenſum mentis, inæſtimabilis tuæ gloriæ ſplendor & ineffabilis tuæ Charitatis amabilitas.

O dulcedo amoris! ô amor dulcedinis! comedat te ſpiritus meus, & nectare tuo repleantur viſcera mea.

O Charitas DEVS meus! mel dulce! lac juvenum! cibus grandium! fac me vivere, & creſcere in te, ut ſano palato poſſis à me manducari.

Tu es enim Vita mea quâ vivo, Spes cui inhæreo, Gloria quam deſidero. tu mihi Cor tene, mentem erige, intellectum dirige, amorem infunde, animum rege, & ſuſpende, ac in ſuperna os ſitientis & ad te ſuſpirantis trahe. ut in infirmitate meæ humilitatis perficiatur virtus charitatis.

O Domine, anima mea tuo Deſiderio accenſa, non poteſt per ſe tuum amorem cœleſtem amplecti, à te auxilium precatur & ad te ſuſpirat!

O chare mi Sponſe, Amice mi, trahe me, etiã atque

atque etiam te obtestor, & supra brachia tua me attolle; non enim possum aliter præ lãgvore progredi; Verum si me trahas simul ambo curremus, tu me adjuvans & refocillans odore ungventorum tuorum, ego autem eo recreatus, pro viribus tuo adjutorio suffragans & odorans tuas suavitates, quibus relevor, usque dum balsamo tui amoris, id est, salutari unctione sanctificationis perfundar.

O Charitas te nunquam amare desinam. Lethales enim animi plagas non persanant nisi Amor & Dolor. Sive Actus Charitatis & Pœnitentiæ. Sic Publicanus dolendo, Maria Magdal: diligendo, omnẽ animi pestẽ detersit. O si mihi id peccatori fœtido liceret obtinere & implere.

Proinde ô bonitas DEVS. per amorem, & misericordiam magnam, & secundùm multitudinem miserationũ tuarum te exoro miser, ut dum infelix lapsus fuero in peccatum, & Majestatem tuam offendero, ne permittas me ut Caim vel Iudam desperare, neq; me tradas animo infrunito. Sed da mihi Contritionem amoris tui plenam, & simul meminisse mortis, sanguinis, & dolorum ac meritorum tuorum.

Non enim musca exhaurire potest aquas Oceani, & scintilla ignis exsiccare aquas maris. Ita nec ego miser peccator possum Oceanum misericordiæ tuæ infinitæ exhaurire.

Quocirca ô anima mea si persenseris, amorem tibi Dei adesse, ingressa in teipsã disce Rosas

à ſpinis diſcernere, & flores ex graminibus ſecernere, id eſt, Cor tuũ amori Dei tui cõſecrare, & ad illum ſuſpirare.

Amans DEUM anima, ſub DEO deſpicit univerſa, ſolus DEVS & immenſus implet ejus Spiritum, ſolatium animæ, & vera Cordis lætitia,

O Bonitas immenſa quàm ſuaviter, quàm benignè te mihi exhibuiſti: nam cùm non eſſem creaſti me, quando te deſerueram, tu me minimè deſeruiſti, cùm procul a te fugere voluiſſem, tu dulciſſimè cœpiſti me, & ad te reduxiſti. Da igitur ut amem te, talis enim quiſq; eſt qualis ejus dilectio. Qui terram & terrena diligit, terra eſt: qui verò Deum, Dei imago & ſimilitudo eſt.

O ſi Cor meum in mille partes ſcindi, & te ô vita Cordis mei amplecti poſſet.

O ſi omnes dies vitæ meæ, in perpetuo amore tecum exigere liceret, id mihi eſſet optatiſſimũ.

Ille etenim veraciter beat⁹ eſt, qui requiẽ non habet niſi in te. Vnum porrò neceſſarium eſt, id eſt amor tuus.

Ad tuum igitur amorem aſpiro & ſuſpiro, ejus deſiderio exardeſco, ne quæſo deſpicias indignam creaturam tuam.

Neque enim habet Cor meũ in quo ſe recreet, & oblectet, niſi in te ſolo Deo per amorem. Tu enim creaſti me ad te: ideo etiam inquietum eſt Cor meũ ſine te: id eſt, vult te cognoſcere & amare.

Vtinam cuncta membra mea, & totus ego conver-

convertar in inexhaustũ amorem, ut ſic qualemcunque charitatis tuæ vicem rependere poſſim.

Amor enim non invenit nos neque æquales, neque unitos, ſed ille æquat, & unit. Vtinam & me miſerum.

Sed quid ego Amorem inſatiabili Corde deſidero? Notandum eſt, Amorem non ſingulis hominibus, neque ſingulis annis, neque etiam ſæculis à Deo dari. Narrat Fonſeca ex Scripturis, Deum ſeptimis ſæculis, ſi diligentiùs attendatur ſua mirabilia renovaſſe. Nam Moyſes fuit ſeptimus ab Abraham, Abraham ſeptimus ab Henoch. Henoch ſeptimus ab Adam. Ita ſeptima quaq; generatione, Viros ſanctiſſimos in Orbem mittit.

Idcircò quicquid amoris ſentitur in hac vita, id totum quaſi gutta ad Oceanum, tanquam digiti extremitas ad primum mobile, ſic amor modernus ad amorem æternum.

Sed, me miſerum! cur amor tuus quaſi ludus quidam? jam adeſt, jam abeſt, jam inflammat, jam deſerit, jam conſolatur, jam affligit deſolatione, atque ſic Cor meum probat! video, Ludit in humanis Divina potentia rebus.

Iam ſæpeſæpiùs literis S. Scripturæ vult me eſſe contentum, licetſi amoris tui melliflui plenis. Cùm Cor meum te, non literas quærat, deſideret, & ad te ſuſpiret, & ad tuam præſentiã.

Cur igitur ô amor animæ meæ, forſan ſimplicitate ejus, an etiam & temeritate offenſus,

ſubtrahis te, nec verbulum loqui dignaris; eamque deſolatam, mœrore, & ſuſpirijs conſumptam relinquis.

O utinam ſaltem amor tuus me excæcaret, (utiq; ſimulachrum Amoris cæcum pingitur) ne hæc caduca & terrena ampliùs videre, & eis adhærere oblectaret, & ſui aliquo modo oblivisci.

Heu me miſerum, mærore, & ſuſpirijs præ deſiderio tui conſumptum! Quis Seraphim tanget labia mea (ut Iſaiæ) calculo ignito de altari Domini: ut amorem; & ignes ſpirare poſsim cœleſtes, idque perpetuos. Vtque amem te Domine pluſquam me, nec me niſi propter te, & omnes in te, qui verè amant te. Sicut jubet Lex amoris: lucens ex te. Delicta non videt vis Amoris.

O Domine! vide, qui virtute pleniſſimus es; quia amore ardens, ſiti, deſiderio, (voto amoris non expleto) langveo, & deficio. Quia nihil eſt funeſtiùs amore, langvore, & deſiderio: & exaudi gemitus & ſuſpiria mea neq; ultra dicatur mihi, non placas, quia nō places. Sordet natura, ſine gratia.

Sed quorſum hæc ſuſpiria fundo miſer viator & peccator? Ego enim pro ſtatu hujus miſeræ vitæ humanæ poſſibilitate, etiam ſi totas vires, & me totum conſecrare tibi vellem, non poſſum te amare, prout in ſe diligibilis es, quà diligibilis: quia hæc perfectio ex parte tua, nec poteſt haberi ab ulla creatura, etiam beata: ſic enim ſci-

nim solus, potes à te diligi, ut diligibilis es.

Non possum etiam te amare, non modò quâ diligibilis es; sed etiam quantum ipsa Creatura diligere potest, semper seu actualiter tuo amori inhærendo: Et hæc enim perfectio non hujus vitæ, sed futuræ sive Patriæ; quia ibi Amor perpetuus, & nullus finis amoris: Et sic, te Deum amant Angeli, & Sancti tui in cœlo.

Possum quidem te amare, sed non semper; in quantum licet per huius vitæ infirmitatem. Multiplex siquidem huius vitæ necessitas, variã mentis distractionem involuit, & ab actuali amore distrahit. Tu me adjuva, suscipe misericors suspiria mea, & Cor meum amore tuo accende: neque derelinquas, seu ne proijcias me à facie tua.

Vides enim Domine sicut Cisterna facit frigidam aquam suam, sic frigidum facit hominem malitiâ suâ & phantasmata.

Et Cor meum sicut parturientis phantasias patitur.

O me miserum! † *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ac suspiria mea satiabit, & suscipiet; ac ad te ascendere faciet: Amor siquidem igneæ est naturæ, ac per hoc intus retineri non potest: sed semper per verba & suspiria foras erumpit. † *Ad Rom*: 7. ℣. 24.

CAPVT III.

Vota amantis.

O IESV! quis mihi largietur hanc gratiam, ut sim Spiritus unus tecum? O quando rejecta multitudine Creaturarum solam tuam veritatem amplectar.

O DEVS! tu solus unus es, ideò etiam sola unitas, animæ meæ est necessaria, ut dixisti: *Porrò vnum est necessarium.* Luc: 10 ℣. 42.

Eheu chare Cordis mei Amice, unito miserã animam meam singulariter unicæ tuæ bonitati.

Tu quidem totus meus es. Et quando solus ero, & ego tuus.

Magnes ferrum trahit, & sibi jungit: agedum IESV esto Magnes meus. Esto tractor Cordis mei, qui me trahat, me premat in æternum, meum Spiritum Paterno suo pectori adjungat.

Ah Domine! siquidem pro te, & ad te factus sum, quare non sum tecum, & in te.

Ah! guttulam istam Spiritus, quam mihi dedisti, in mari bonitatis tuæ, ex quo processit, absorbe!

O bone DEVS! quando Cor meum, te uti summum bonum videndi, & fruendi pronissimo animo desiderat, & cur me deseris? Vtique bonum opus intentio facit, fides dirigit intentionẽ.

Anima mea omnia tibi (uti tua) desiderat, nec aliam ob causam, nisi quia tu omnia propter te fecisti, & quia tu es Bonitas, Sapientia, Amor, te amat, & tuum amorem desiderat, nam ob proprium suipsius commodum, te amans maximum committit sacrilegium.

Et si-

Et sicut Corpus crucifixum non est in semet ipso, sed in Cruce: Et sicut hedera affixa muro, amplius nō est in semetipsa, sed in muro. Ita Cor meum, & anima mea, amore fervens, non in se, sed in te tota est.

Complacentia siquidem in Cor amantis trahit delectationes, & gaudia ex re amata, illi unit, & unum esse efficere conatur.

Sed, quoniam nemo perfectè & solidè amare potest, nisi qui videt, & cognoscit? Quomodo ego cognovi te Domine? quem neque Herubim neque Seraphim perfectè cognoscunt? Cognovi te, quia fecisti me, & illuminasti me: Inveni me, & cognovi te, quoniam illuminasti me; Sed, me miserum! quomodo cognovi te? Cognovi te in te; Cognovi te non sicut tibi es, sed cognovi sicut mihi es & non sine te, sed in te: quia tu es lux, quæ illuminas me; Sicut enim tibi es, soli cognitus es, mihi es secundùm gratiam tuam, cognitus. Sed quid mihi es? dic mihi misericors famulo tuo misero, dic mihi per miserationes tuas, quid mihi es; Dic animæ meæ: † *Salus tua ego sum.* Noli abscondere à me faciē tuam, quoniā misericordia tua magna est super me. *Loquar ad Dominū meū cū sim pulvis & cinis.* Gen: 18: ℣. 27. Dic mihi supplici tuo, dic mihi misericors misero, dic per miserationes tuas, quid mihi es. Et intonasti desuper voce grandi in interiorē aurem cordis mei, & rupisti surditatem meam. Et audivi vocem tuam, & illuminasti cæcitatē meam,

† Psal: 34. ℣. 3.

& vidi lucem tuam. Et cognovi, quoniam Deus meus es tu, propterea dixi, quod cognovi te Cognovi enim quia Deus me⁹ es tu. Cognovi † *Te solum verum Deum & quem misisti IESVM Christum*: ideò amare te desidero.

Idcirco ad te clamat Cor meum, anima mea, ô Deus meus, idque millies repetam, cogitabo, usque & usque, usque repetam o DEVS meus, amor meus: alij alia quærant, quærant honores, opes, dignitates: Ego verò solum amorē tuum quæro, DEVS meus. Et dicam sæpius DEVS meus & omnia. *Totum mundum alijs concedo, omnes honores, voluptates, delicias, pulchritudines, jucunditates, tu mihi DEVS omnia, & plusquàm omnia.* Tu DEVS meus omnia, quæcunque optare, desiderare, amare possum. Quodcunque bonum appetiero, tu DEVS meus omnia.

Iam ergo desinam impuros rivulos sectari: cum purissimum fontem summum bonum DEVM habeam, in illo etenim omnia bona habeo, quæcunque habere, videre, concupiscit anima mea. Iam igitur semper dicam, DEVS meus & omnia. Tu DEVS itaque inebria me, amore tuo.

Si Moyses tot tantisque sublimitatibus elevatus, adhuc ardet desiderio, adhuc tanquam famescens, ac sitiens, nunquam eo carens, quo semper fruebatur, orat, ut videat. Quocirca supremæ pulchritudinis amator, quod jam viderat, tanquā imaginem ejus, quod non viderat, credens ipso

† *Ioann: 17. ℣ 3.*

frui: primitivo desiderat. & cur desiderabat tam avidè, videre faciem Dei? Divinus etenim amor satietatis legum nescius. Ideò acceptâ gratiâ ampliorem desiderabat, in gratia ultra progredi vult, justus. Gratia enim est quædam participatio Divinæ perfectionis, imò & juxta illius quantitatem DEVS debeat participari à nobis, cum ille infinitæ perfectiōis sit, inde est, quod gratia quādam veluti infinitatem participet, in eo quod nusquam ad satietatem, & fastidium, ultimoq; terminatā quisquam illam accipiat, sed quantumvis maximè eam lucretur, multum adhuc illius acquirendum superest, proindeq; in majus illius desideriū semper accendi debet.

Et unde tam felix & gratus Deo Moyses? nisi per jejunium meruit cum Deo colloqui, ante Deum consistere, quamvis enim illum ab obtutibus Dei conditio humana subtraheret, jejuniorū tamen gratiâ proximum illum Divinitatis consortio faciebat, hæc enim DEI nobis virtutum portio DEI est, ut jejunemus frequenter, quoniam semper DEVS jejunat.

O si Moyses tantâ gratiâ amicitiæ dignatus, rogat: *Ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam gratiā ante oculos tuos.* Exo: 33 ℣. 13.

Heu me! quid ego miser famescens faciam? quomodo rogabo? quomodo votis meis satisfaciam? & satiabo? Sine gratia etenim non curritur ad gratiam, quomodo clamabo? clamabo vinctus in Domino.

Inebria Cor meum sobria amoris tui ebrietate, ut obliviscar quæ vana sunt & terrena, & te solum in mente, & ore habeam; occinens: *Memor fui* DEI, *& delectatus sum.* Psal: 76. ℣. 4.

Da ut in præsenti miseria solo tenear corpore, tecum autem sim cogitatione, & aviditate, ibi sit Cor meum, ubi es Thesaurus meus desiderabilis, multumque amabilis. In hoc enim magno hujus vitæ diluvio nunquam invenitur pax, foris pugnæ, intus timores: Et gustato Spiritu, desipit omnis caro.

Cor meum mare magnum, confige meum aculeo amoris tui, ut dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata sum, ita ut ex ipso vulnere amoris tui, uberrimæ fluant lachrymæ die ac nocte. Percute Domine percute obsecro hanc durissimam mentem meam pia & valida cuspide dilectionis tuæ, ut Petram Moyses, in deserto, *& fluant pœnitentiæ lachrymæ, ut ex Pelagiæ & Thaidis oculis.* in Vitis PP.

Amabilissime Domine, tu mihi melle dulcior, lacte ac nive candidior, nectare suavior, gemmis & auro pretiosior, cunctisque terrarum divitiis & honoribus charior.

Et ideo suppliciter rogo, ut non respicias tantum ad id quod modo dico, sed ad id, quod dicere optarem; Cupio enim desiderio magno dicere, quia tu es mihi cœlo & terra, & omnib⁹ quæ in eis sunt acceptior, amabilior; Diligo enim te super cœlum & terram, imò nisi amore Nominis tui

nis tui omnia transitoria, quæ procul dubio amanda non sunt.

Amo te DEVS meus amore magno, magisq; te amare cupio. Da mihi ut amē te semper quantum volo, & quantum debeo, ut tu solus sis tota intentio mea.

Te in nocte alloquatur Spiritus meus, tecum fabuletur mens mea.

Rogoq; te DEVS meus per omnes miserationes tuas, mollifica Cor meum durum, & fac me per ignem compunctionis, coram te omni hora hostiam vivam fieri.

Fac me, in conspectu tuo, cor contritum & humiliatum cum lachrymarum abundantia semper habere.

Fac me, ex toto desiderio mūdo extingui, transeuntium omnium oblivisci, præ magnitudine amoris tui.

Et quia tui valida est, ut mors dilectio: Absorbeat quæso mentem meam, ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ignita & mellisflua vis amoris tui, ut sola tuæ suavitatis memoria pascar.

Descendat Domine, descendat precor; descēdat in Cor meum odor tui suavissimus amoris & mellifluus.

Veniat mihi tui saporis mira & inenarrabilis fragrantia, quæ sempiternas in me suscitet concupiscentias, & ex corde meo producat venas † *aquæ salientis in vitam æternam.* Immensus es, ideo sine mensura à nobis amari debes, quos pre-

† *Ioann: 4. ℣. 14.*

tioso sangvine redemisti. Tu enim amas amore infinito.

O amator hominum, & Iudex justus! Estne æquum, ut homines magis perituras divitias, & fugitivos honores magis ament, quàm te? per quem facti & redempti sumus?

Si enim homo hominem quandoq; tantâ diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abesse. Sponsa absente Sponso præ magnitudine amoris nullam requiem exoptat. O quâ dilectione, quo fervore anima mea, quam desponsasti tibi, fide, & miserationibus debet diligere te, verum DEUM & Sponsum, qui nos sic amasti, Amor Carnis semper anxius est, tuus verò delectabilis & suavis.

Dulcis Christe, bone IESU, reple semper quæso Cor meum inextingvibili dilectione tui, recordatione tui, adeò, ut sicut flamma urens totus ardeam, ex tui amoris dulcedine: quem & aquæ multæ nunquam possint extinguere.

Fac me quæso Domine amare te, & desiderio tui deponere pondus omnium carnalium desideriorum, nec amplius uagari super terram.

Duo enim Amores me miserum persequuntur. alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, qui non se simul patiuntur in uno pectore. Et ideò si quis præter te aliud diligit, non est Charitas tua Deus in eo, amor dulcedinis, & dulcedo amoris, amor non crucians sed delectans, amor syncerè castèque permanens, amor semper ardens,

ardens, & nunquam extinctus.

Dulcis Christe, bone IESV, Charitas Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tui, suavitate, dulcedine, jucunditate, & exultatione tuâ, voluptate, & concupiscentiâ tuâ sanctâ, bona, casta, munda: ita ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma charitatis tuæ succensus, diligam te Deum meum, ex toto corde meo, totisque medullis præcordiorum meorum.

Audi me Deus meus, audi lumen oculorum meorum, audi quæ peto, & da quæ petam. Id est flamma amoris tui, Cor meum, & spiritũ meum succende.

O amabilissime, & pulcherrime infunde obsecro in Cor meum multitudinem dulcedinis tuæ, & charitatis tuæ, ut nihil terrenum sed te solum habeam in pectore meo.

Scribe digito tuo in Corde meo dulcem memoriam tui melliflui nominis, nulla unquam oblivione delendam. Scribe in tabulis Cordis mei voluntatem tuam. Succende mentem meam igne tuo, illo, quem misisti in terram, & voluisti vehementer accendi, ut Sacrificium spiritûs contribulati, & cordis contriti, obortis lachrymis quotidie offeram tibi. Odor tuus Domine, excitavit in me concupiscentias sempiternas.

Dulcis & bone IESV, sicut desidero, sic tota mente mea peto, da mihi amorem tuum sanctum, qui me repleat, teneat, totumque possideat.

CAPVT

CAPUT IV.

Resignationes Amantis.

MIsericordissime Domine tibi me commẽdo, reddo, per quem sum, vivo, sapio. O DEUS meus, tibi omnes actiones hodiernæ diei, & totius vitæ meæ offero, dedico, consecro.

Expolio me omnibus desideriis, affectibus, splendoribus; Ad te suspiro. Oculos mentis meæ in te conijcio. Et protestor, nihil me velle præter te, nihil desiderare, præter te, & propter te.

Et quod meipsum non amem, nec ullam rem in mundo, nisi te, & in te Deo: & propter tuum Amorem omnia.

O DEUS! quàm tu occultè in nobis commoraris, nec quisquam id scire potest & comprehendere: nisi qui abstractè vivit ab hominibus, & vias tuas observat. Et ista temporalia uti seductoria dimittit.

O quàm occultæ sunt in nostras animas viæ tuæ! quàm abditos recessus (quibus nos ad amandum invitas) habent.

Id fit in nobis, sed sine nobis: suntq; tui favores, quibꝰ nos afficis antequã cogitemus. Ipse nos excitas dum dormimus, & deprehendimus nos excitatos, nulla nostra cogitatione præveniente, sed in nostrá situm est potestate surgere vel non

non surgere. Amare, vel non amare Deum; uti gratiâ, vel in vanum abire sinere eam.

O utinam in die bonorum, non immemor sim malorum: nec in die malorum non immemor bonorum. Nec obliviscar summi ac æterni boni cinctus præsentia: regnum enim Dei tam occultè intra se gerit anima, id est, Iustitiam, pacem, & gaudium in Spiritu sancto.

O utinam me abhinc nullæ felicitates, & deliciæ hujus mundi delectarent, utque mihi sola interior Castitas & Confidentia dominetur. Hoc est enim amorem Dei promereri, nullos affectus mundi sectari, & hic est status hominis interioris.

Tumque sciat homo, se in virtutibus proficere, & Gratiam Dei mereri magis dum seipsum vincit, & Spiritum mortificat.

Maioris enim est meriti, vincere suos affectus, & cupiditates, quàm labori manuum insistere, & suum corpus mortificare.

O si posset homo devotus, semel intrare in interiora Domini, & semel Amorē ejus degustâre, jam abhinc nil delicias, & amaritudines mundi curaret. Nam, Amor Dei, terrenorum omniū contemptum parit.

Quocirca ô Bone IESV! unica Spes, & refugium meum! habe misericordiam in me: & accende Cor meum Amore tuo.

O dulcissime Domine, moveat te miseria mea, fragilitas, nuditas. Adjuva me gratia tuâ:

nam sine te nil sum, nisi vas sordidum, indignū quod terra sustineat, sordet natura sine gratia.

Mortifica in me omnes affectus, & cupiditates corporis, & affectuum: ut noverim me; & sic ad Amorem tuum dispositus efficiar.

Nec ulla transeat hora, quâ & te Deum meū summam bonitatem, & meam miseriam; non intueri, & observare non valeam. Resignās me toties per diem & clamans Eheu dulcissime Domine! quàm malè mecum agitur, quàm infinita est miseria mea. Quid tandem ex me fiet? qui toties meipsum nihil esse comperio. Certè rursus incipiam, iterum atque iterum me relinquam, iterum relinquam mundum, denuò resumptis viribus meipsum quantum pôtero resignabo. Toties enim nosmetipsos mortificare, exire; deserere debemus, donec tandem resignati efficiamur.

Sensuum enim in externa effusio, vitam æternam, & animi devotione interturbat. Da mihi Domine, sensus meos cunctis præsentibus formis & Imaginibus præcludere Vt dum me præsente mali aliquid admittitur, non mē immisceam, neq; consensum (si non possum præ rumpere) præbeam. *Melior est qui dominatur animo suo expugnatore Vrbium* Prov: 16. ℣, 32.

Resignato siquidem decet, ut nullā transigat horam, quā non & Deum, & seipsum observet ac intueatur. Semper celeriùs intrò se recipere, Et studium adhibere, ut homo exterior, interno

terno uniatur, idque beſtiales omnes ac carnales calcando voluptates. Vita ſiquidem naturalis in motibus, ſeu effectibus, ac ſenſius ſeſe prodit. Deinde opus eſt, videre; ne foras trahentes cauſas, & occupationes aucupetur.

Quantùm enim quiſque à ſeipſo, & caducis Creaturis omnibus ſe avertit, tantùm Deo unitur, & beatus efficitur. Eique homini Deus ad ſalvandum voluntatem ſuam per modum Deſiderij, applicat.

Et quoties te amandi ſubit cogitatio, poſſem mi Domine animo colliquefieri, ſiquidem ſpiritu deſtituor, verba me deficiunt, & omnis ſum modi expers: nam in hac abnegatione tota perfectionis ſumma conſiſtit, ſine qua nemo proficere valebit, quocunque ſe verterit.

O Domine, tu mihi ſis ſemper præſens, tu habita in intimo animæ meæ, & eam imbue ſpiritu ſupermundano, cœleſti, & amoris tui pleno.

O ſi mihi liceret Conſortia hominum fugere, & ſecreto de Dei amore cogitare: Dulciùs enim amanti domi latere, & interiora ſua, ac ſpiritualia amore accendere: quàm foris, ac inter tumultus hominum ſeipſum cuſtodire. In nobis enim eſt numeroſa & turbulenta belluarum intemperies.

Amor tuus efficit, ut quaſi cor cordi nuda quadam ac intelligibili ratione cõjungatur, & in tantùm colliqueſcit anima Amore, ut nullā poſſit corpoream accommodare ſimilitudinem. O

quoties contingit amoris vehementia, jam jamque viribus destitutum iri.

Amor perfectus Dei, facit hominē sui oblivisci, quia rapit eum extra se, facitq, eum totum in DEO animo absorberi. Ejusmodi homo, non multum de se cogitat, negligitque quid de illo cogitant alii: non est sollicitus ad res externas, seu quæ ad illum non pertinent.

Et quia spiritu ambulat, nescit prudentiam carnis, fitq; id genus hominum, cùm aliqua tractant, ac loquuntur, tanquam pueri videntur; Quod totum fit, ex animi abstractione, quia à se mundana abdicarunt. Et qualis quisque est intus, tales etiā alios omnes æstimat, scilicet Candidos, & benevolos, rectos corde.

Et dum eiusmodi homines amorē abstrahūtur in DEUM, fiunt sui & suorum immemores. Talis fuit S. Maria Ogniacensis, quæ voce de cœlo auditâ: *Noli me tangere*: quæsivit ex Confessario; quæ esset vox? Nescivit Sancta, Malitiam humanæ fragilitatis.

Ratio huiusmodi Abstractionis est: Quia homo amore satiari non potest; idcircò de amore, quo inflammatum est Cor eius, cogitat, audit, legit, scribit. *Quia ex abundantia cordis, os loquitur*.†

Silentio etenim amorem nemo tegere potest, sicut impossibile est, flammam ignis cōprimere, ita nec Amorem.

Idcircò & ego, quamdiu his fragilibus subsisto membris, miram tui delectationē, & pulchritudi-

† Matt. 12.

tudinem, indesinenter cupio, desidero, in loco peregrinationis meæ viator miser.

Hem quàm dulcis est mihi memoria tui! quantò enim magis de te meditor, tantò es mihi dulcior, & amabilior, ac tanto majori amoris tui flammâ succendor.

Quocirca, super custodiã meam stabo, & psallam animo, psallam spiritu. Polum penetrabo, ac mente, & desiderio tecum manebo. Atque utinam in præsenti miseria solo corpore tenear, tecum autem desiderio, & tota aviditate sim semper, utq; ibi sit Cor, mens, & spiritus, ubi tu es thesaurus meus.

Propter refrenationem sensuum scriptura triplicem Resignationem nobis recõmendat. Prima, quâ universas substantias & mundi facultates contemnere. Secunda, quâ mores & vitia, affectusque pristinos animi carnisque respuere. Tertia, quâ mentem nostram à præsentibus universis visibilibus avocare, & futura solummodo, & invisibilia contemplari docemur. Quæ tria, etiam Abrahæ Deum præcepisse legimus. *Exi de terra tua*, id est, de facultatibus mundi. *De Cognatione tua*, id est, de Conversatione & moribus. *De domo Patris tui*, † hoc est, de omni memoria mundi huius, quæ oculorum occurrit obtutibus. Eiusdem Resignationis veræ cuidam revelata est doctrina cælitùs, quomodo se resignare deberet, & vivere interrogãti. Videlicet ut semper se crederet in vastissimo natare pelago, ac soli suo pallio in-

† Gen: 12.

lio insidere, nec ad integri milliaris terræ spatiũ cui adnataret videre. Non natandi, non vociferandi ultra potestatem superesse. Quid ergo taliter afflictus agere debeat? nisi soli Deo se permittere omne desiderium vitæ in Deo habere, ac Dei misericordiam omni studio & jam jam periturus invocare & exorare. Et hæc vera resignatio ferventer & frequenter orare jubet, ac cælo intentum animum tenere, uti undiquaque nos derelictos. Ejusdem Resignationis doctrinâ, & ab Eremita quodam adinventa, & discipulis traditur Vt videlicet cogitaret homo quotidie, nisi solum Deum: & se solum in mundo esse & vivere. Cætera autem omnia penitus tanquam nihil, ut sic omnia fastidiret, ac solũ Deum amaret, quæreret semper, & ad eum aspiraret. Et hæc resignatio. Est ad gratiam Dei ascensio, insuper unitio cum Deo fruitiva. Est pura Cordis libertas, vera sui immolatio ac nostra perfectio, seu gradus ad perfectionem, & satisfactionem. In terris siquidem ea perfectio summa, ut quisque esse imperfectũ agnoscat, deinde tantò quisque perfectior est, quantò alienos dolores & defectus perfectiùs sentit.

Iejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, Oratio, nuditas & privatio omnium facultatum non sunt perfectio, sed perfectionis instrumēta, quia non in ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illa pervenitur ad finem & ad sanctificationem. Sanctificamus verò Corda, & Cogitationes nostras

per ma-

per malarũ cogitationũ ablegationẽ, & bonarum formationem. Sanctitas mẽtis vel intellectus Theorici vel Practici consistit in Contẽplatione & Cognitione veri vel falsi. Hæc Sciẽtia salutaris Sanctitas vel spiritualis Sapientia. bonum ad profectum acquirit gradum, qui bonè ministraverit in ea, meliorem, fortè qui bene vacaverit DEO optimus autẽ, qui perfectus est in utroque.

Et ideò dicit Dnus, *Vade & vende omnia, & da pauperibꝰ* Matt. 6. sic docuit verbo & exẽplo Exinde enim in nobis oritur humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, DEVM toto corde diligere, amare in illo quid. Pater est, timere quod Dominus est. Christo nihil omnino præponere, quia nec ille nobis quicquam præposuit.

CAPVT V.

Lamentationes Amantis.

VÆ miseræ animæ meæ, quæ Christum non quærit, non amat, arida manet, & misera. Etenim qui tibi Domine vivere recusat, mortuus est. Exinde plange anima mea sicut vidua, ulula misera & plora, quia dimisit te Sponsus suus. Quos circa miserere mei Domine, ne desperem, sed

ſperando reſpirem. Et da mihi lachrymas compunctionis ex toto corde, quæ peccatorum meorum poſſint diſſolvere vincula. Aſpiciēs Petrum, ut in lachrymas diffluam.

Calamitas quam patior cogit me clamare, Dolor compellit me dicere. Legem non habet neceſſitas. Ægrotus ſum ad medicũ clamo. Cæcus ad lumen propero. Mortuus ad vitam ſuſpiro. O vita vivens expecta cæcum; præbe manum, Vita vivens, revoca mortuum ipſo mortuo Lazaro fœtidiorem.

Ad te dies, noctesque ex hac lachrymarum valle clamat mea vanitas. Ego ut Iumentum ſum apud te: abyſſus tenebroſa terra miſeriæ filius iræ, vas aptum in contumeliã, gemitu per immunditiam, vivens in miſeria, moriturus in anguſtia.

O me millies miſerum, quæ eſt mea bonitas? cùm Cor meum nihil differat à Caupona, aut Oenopolico, quod quælibet impura Cogitatio infeſtat, ingreditur, hoſpitat, moratur, pro libitu in illo; & illud cœno peccatorum inficit, uti vile proſtibulum.

O ſi ob dilationem amati boni, proteſtabatur Pſaltes dicens: † *Fuerunt lachrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi, ubi eſt DEVS tuus?* quid ni & ego lugeam, dum dicit mihi Cor meum, ubi eſt Amor meus? & lamentari non deſiderem?

Vtinam ſuſcipias gemitꝰ miſeræ animæ meæ. Et dum oravero non excludas orationem meam.

Pſal. 6. v. 41. Tu di-

Tu dicis: Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum, id eſt, voluptatem ſupremæ bonitatis impertiri, communicare, copioſè ſuas infundere gratias, & concurſum ſuum præbere, aſſoles.

O me miſerum! dum te amare, & amore proſequi cupio, ventúm inſequor umbram amplector, & ipſe vacuus remaneo.

O quàm mihi derelicto omnia deſipiũt, nam ſum frigidus ad omnia & ineptus, niſi ad vitia, & defectus pronus.

Oriente verò Lucifero gratiæ tuæ, in Horizonte Cordis mei omnia florent, virent, & hilareſcunt.

O ſi mihi tandem aliquando, uti frui liceret gratia tuâ, & nunquam ab ea ſeparari. Amor enim tuus, pondus meum eſt, illo feror, quocunq; feror. In te verò eſt virtus unitiva & magnete fortiùs attractiva.

O lux quam videbat Iſaac interiùs, dum caligantibus oculis filium ſuum viam vitæ docebat, illumina me!

O lux inviſibilis, quam videbat Thobias interiùs, & futura filio ſuo prædicebat. Lux inquã inviſibilis, cui omnis abyſſus humani Cordis eſt viſibilis; illumina tenebras ignorantiæ meæ, & abyſſum mentis meæ!

Heu me miſerũ, quæ eſt ſecuritas vitæ meæ, niſi plena timoris. Omnis vitæ meæ bonitas ut arundo, quæ vento impellente, in omnes partes flectitur, ſic Conſcientiæ meæ ſecuritas. Nemo

etenim dignus invenitur cælesti cõsolatione, nisi diligenter exerceat se in sancta Compunctione & abstractione.

O me miserum! unde in me & triplices Operationes sentio: Supernaturales, rationales, & sensuales: Et dum amor vires suas diffundit, in has tres Operationes magis extenditur & minùs agit, ac minùs intensus est: ac deniqne minùs agit. Sicut qui plura videt, minùs videt: qui plura scit, minùs benè scit. Proinde quis me docebit sensuales, & rationales supergredi, & solis supernaturalib⁹ vacare, ut intensiùs agam ac amẽ.

Hem, quàm infelices nos & miseri! qui per huius maris magni fluctus, & procellosas voragines navem trahimus, ignorantes, an ad portum salutis perventuri sumus.

Infelices inquam, quorum vita in exilio, via in periculo, finis in dubio, nescientes finem nostrum, quia omnia servantur in futurum, nunc autem incerta.

O quàm miseri, dum adhuc in Pelagi fluctibus versamur, suspirantes ad te portum maris. O Patria nostra, patria secura à longe te videmus, ab hoc mari te salutamus, ex hac valle ad te suspiramus, & nitimur cum lachrymis ad te pervenire. O bone IESV spes inter caliginosas nebulas, & maris procellas, ut Cynosura illustra oculos meos, guberna navem clavo Crucis, ne peream in fluctibus: ne me demergat tempestas varietatum mundi, neque absorbeat me profun-

profundum Concupiſcentiæ Carnis: neque vrgeat ſuper me Inferni puteus, id eſt damnationis os ſuum. En miſer ut pullus Columbæ, ad te clamo lachrymantibus oculis, in littore cæleſtis Patriæ ſtantem, & meum interitũ inter Scyllam & Charybdim conſiderantem.

En ergo nunc, & ſemper ante te ſto infelix peccator, dignus meritò quem Infernus rapiat, & deglutiat. Sed quoniã hucuſque pepercit mihi miſericors Oculus tuus, ſto ante te miſer & miſericordiam imploro, me accuſo, quia dum te amare volo: non poſſum & jure meritò; quia dum potui nolui: ideò per malum nolle, perdidi bonum velle & poſſe. Miſer ego in mari turbulento verſor, tu Domine aſpicis & vides periculum meum. Salva me ergo propter nomen tuum, da tenere medium, & ſalvum fieri, propter amorem tuum.

Amor etenim ſenſualis & terrenus, quo magis Cor occupat, eò magis abhorret cæleſtem. Sicut Amon ante amatam Tamar Sororem, poſtea nec videre voluit: quia Ius fraternum violavit, & ius ſangvinis læſit.

Sed quid ego ſuſpiro, lamentor, clamo, dum amorem exquiro, deſidero. Infectâ radice nullus fructus ſperandus. Ego autẽ in primo Parente infectus; nam conceptus in iniquitate, & natus: quid boni poſſum amplecti. *Pſal: 50.*

Eheu me miſerum Viatorem & Exulem! & quis miſerebitur mei? quis enim noſtrũ laqueos

Dæmonum evadet? quos posuit in divitiis, paupertate, cibo, potu, in voluptate, honoribus, somno, vigilia, opere, verbo, cogitatione, & in omni vita, statu; semper tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret.

Tetendit enim retia sua non modò in operibus mundi & Carnis, sed etiam in Spiritualibus exercitiis, Orationibus, de quibus quidam si nobis reputat Deus negligentias temporis quo oramus, & Captivitates quas patimur, dum psallimus: non possumus salvari. Nec solùm in Orationibus, sed etiam Exomologesi, chameuniis, sub virtutum specie ipsa vitia induit, ac sæpesæpiùs transformat se in Angelum lucis.

Nec scire possum, cur tanta mortales angit anxietas, affligit cura, sollicitudo molestat, dolor affligit, conturbāt tristitia, cōtristat turbatio; pauper & dives, servus & dominus, deniq; bonus & malus, omnes mundanis cruciatibus affliguntur, & mundanis affectionibus cruciantur; dummodò sua desideria adimplere possint.

O si cum tanto studio & fervore curarent & quærerent æterna cœlestia, Divina? O *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur.* Matt: 9.

O me miserum! quomodo anima mea, quæ est vas sordidum, tot imagines rerum turpium, phantasias, sordes peccatorum in se recepit, & imbibit & per tot annos. Vas ergo cùm infectū existat, penetratum à sordibus: has sordes à se abdi-

abdicare, & eiicere num poterit, una cũ phantasmatibus & habitibus, nisi pedetẽtim, & successivè per cõtrarias virtutes & actiones: nam, Quo semel imbuta recens, servabit odorem testa diu.

Et sicut Statuam Sculptor fabricat, non àliter, nisi auferendo composita, quæ impediunt perspicuum formæ latentis intuitum, solaq; ablatione pulchritudinem occultam pandit.

Ita oportet & me omnes positiones rerum auferre, ut earum Creatorem invenire, & videre valeam ac merear.

Sed si Maria Ægyptiaca pœnitens in summa austeritate vitæ non nisi post septemdecẽ annos, habitus perversæ libidinis superare potuit: heu quid me fiet? Propterea ecce tacens consumor, verùm etsi locutꝰ fuero, nõ quiescet dolor meus, quod si tacuero amarissimą amaritudine cruciabor interiùs.

Ecce clamo ad te Domine de profundis, & non exaudis me, dolore crucior, & non consolaris me, quid ergo iam ultra dicam, vel faciam miserrimus, tanto destitutus solatio, proiectus à facie oculorum tuorum. Heu me, de quanto bono, in quantum malum ego cecidi? quo tendebã, & quo deveni, ubi sum? & ubi non sum ad quæ aspiravi, & nunc in quibus suspiro? quæsivi bona, & ecce turbatio. Ecce iam miser penè morior, & tuus amor IESV non est in corde meo, & anima mea. Et certè meliùs est mihi non vivere sine amore tuo. Iam ergo miserrimus &

affli-

afflictus sub misericordiæ tuæ thronum proiectus, amorem tuum invoco.

Adesto mihi Domine IESV in omni loco & tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & iusta probatio pro summo solatio.

Quapropter, saltem me ciba pane lachrymarum, & potum da in lachrymis & mensura. Da mihi Spiritum Compunctionis: quatuor enim sunt qualitates quibus iusti viri anima in Compunctione vehementer afficitur. Cùm aut malorum suorum reminiscitur considerans ubi fuit: aut Iudiciorum Dei sententiã metuens, & secum quærens cõsiderat: ubi erit? aut mala vitæ præsentis attendens solerter mærens considerat, ubi est aut cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia necdum adipiscitur, lugens conspicit. Vbi non est?

Exinde bonus vir & pœnitens semper sufficientem materiam invenit dolendi, & flendi: sive enim se considerat, sive de proximo pensat, scit quia nemo hic sine tribulatione vivit. Et quanto strictiùs se considerat, tantò magis dolet. Materia iusti doloris peccata nostra, quibus ita involuti sumus; ut cælestia & æterna summo cum labore spectare, desiderare, & amare possimus. Sufficientia enim nostra, non ex nobis, sed ex Deo est.

Similis misera anima avibus dictis Apodibus, quæ

bus, quæ licet habeant pedes, ita tamen roboris expertes, ut non magis sint usui, quàm si iis prorsus carerent hæ in terras delapsæ, nequeunt ullo modo seipsas in aërem vibrare, n si propitium suæ impotentiæ aliquem nanciscantur ventum: tum enim impendentes suarum alarum remigia cum vento concurrente se attollūt, cooperando primo impetui, altiùs altiúsq; continuante vento sursum elevantur.

Taliter mea vota & desideria non sunt ex se sufficientia, aliquid de amore tuo cogitare Se ŷ tu mihi id præstas, dum favorabilē tuæ sanctissimæ Inspirationis ventum immittis. O Domine vide afflictionem & lamentationes miseræ animæ meæ, & noli me reprobare à servis tuis, tuo amore ferventibus!

Non sine causa quidam Senex Iuniorem docuit. Hortor te frater, ut quicquid agis, vel silentium teneas, vel abstinentiam facias, vel nuditatem ames, vel vigilias furtivas diligas, omnia pro amore Dei fac, & cum lachrymis.

Nam si lachrymæ currunt, adest iam salutaris Compunctio, ut possimus dicere Domino cū Psalmista. *Holocausta medullata tibi offeram.* Holocaustum verò totum incensum dicitur.

Lamentationem desiderans quidam interrogavit Seniorem. Pater quid faciam? Respondit ei, flere semper debemus. Et cur? Respōdit. Væ nobis, væ nobis: Et sic semper dicere debemus. Et cur iterùm? semper flere & lamentari nobis

conve-

conveniat, videlicet. ne post discessum ex hac vita in luctum veniamus. Vtile namq; est consilium, hic ad tempus plorare: quia hæc vita brevis, labens, misera, & citò transitoria. Illa autem æterna, nullum finem habet, nunquam finitur, semper cum Angelis in ea in cœlo gaudendum.

Sed quoniam pauci, & rari qui Compunctionem habent, & peccata sua deflent. imò sunt frigidi, & lapidea Corda satiùs quàm carnea habentes, plerìq; mortales.

Ideò postulanda est à Deo Compunctio, persistendum est in precibus & vigilijs: potens est Deus facilè etiam & nobis dare eam ut Mariæ Ognıacensi, & Seni Arsenio, qui toto vitæ suæ tempore ad opus manuum suarum pannum habebat ante se, propter lachrymas, quæ crebrò cadebant ex oculis eius. Hæc autem audiendo pensita anima mea, quantum nos debeamus præparare ad lachrymas. Si enim illi tam sancti & justi, & Dei facientes per omnia voluntatē, sic se mortificabant: quantò magis nos qui peccatores sumus flere, lugere, ejulare, lamētari dies noctesq; debemus.

Meritò quidam interrogavit Senem dicens. Pater, desiderat anima mea lachrymas habere, prout audio senes lachymas effundētes: & non veniunt mihi, & tribulatur anima mea. Dixit ei Senex: Filij Isráel post quadraginta annos intrârunt in terram Promissionis. Lachrymæ igi-

mæ igitur sunt terra Promissionis, ad quam si perveneris non multum timebis bellum tentationum. Ita enim Deus vult affligi animam, ut semper desideret ingredi in terram illam: & maximè pensando diem Mortis suæ & diem Iudicij: qualis tum erit animæ separatio & discussio.

Perbellè & Abbas Elias dixit suis. Ego tres timeo causas: *Prima*, quãdo egressura est anima mea de corpore, & quem manuductorẽ, in illas regiones ignotas, habebit. *Secunda*, quando occursurus sum Deo, quomodo reddam rationem villicationis meæ. *Tertia* quando sententia adversum me est proferenda, quo ibo in æternum.

Ferunt Historiæ Fratrem quendam petijsse ab Abbate Amon aliquod verbum Doctrinæ: & dixit ei Senex. Vade & talem fac cogitationem, quemadmodum faciunt Iniqui, seu ad mortem incarcerati, in carcere illi sæpiùs interrogant ubi sit Iudex, & quando venturus est, ad exequendum Decretum. Et in ipsa expectatione pœnas suas deplorant. Ita & quilibet nostrum miser homo, semper debet esse suspectus de sua vita, & objurgare animã suam, dicendo. Væ mihi, quando adstare debeo ante Tribunal Christi, & quomodo habeo actuum meorum reddere rationem. Si igitur sic semper meditatus fueris, poteris salvus esse. Et tu ô anima mea hæc audiens, fac sicut iste servus Dei hortatur. Cogita de pœnis Inferni, vermis ibi non moritur, ignis non extinguitur, luctus nunquam cessabit, pœna nunquam finie-

finietur. Et sic semper cogitans poteris salvari. Meditare sollicitè, quomodo inferni laqueos possis evadere, & regna cœlorum merearis conscendere.

Lugendũ & lamentandũ hic est semper, ut dictũ est: *Beati qui lugẽt quoniã cõsolabuntur.* Matt. 5. Sed non omnes qui lugent, solùm modò illi, qui sua vel aliorum peccata lugent, ut Samuel deflebat Saul, & Paulus deflebat eos, qui non egerunt pœnitentiam, ab immunditia sua.

O DEVS Creator cœli & terræ, qui non vis mortem peccatorum, da mihi misero deflere peccata mea, ut aliquando luctus meus vertatur in gaudium. Da mihi misero peccatori seminare in luctu, ut metam in gaudio, prout dixit Psalmista: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Psal. 125.

De Abbate Silvano fertur, cùm aliquãdo sedens cum fratribus factus esset in excessu mentis, cecidit in faciem suam, & postmodum surgens lamentabatur. Et dum interrogarent eum Fratres, quid habes Pater? ille tacebat & flebat. Compellentibus illis, dixit. Ego ad iudicium raptus sum; Et vidi multos de habitu nostro ire ad tormenta & multos sæculares ad regna: & lugebat Senex, & noluit deinceps exire de cella sua, & levare faciem suam in cœlum, dicens: Quid necesse est videre lumen hoc temporale, in quo nihil utile est? O quæ hic iam videre appetit, qui vi-

qui vidit cœlestia, qui fuit in conspectu summi, qui etiam Iustitias iudicat, Iudicis.

Ante obitum provecti ætate Macharii, iam iam mundo valedicentis ex Consortio fratrum, miserunt ad eum Seniores de monte Nyteri in Scithim, rogantes, ut dignaretur ad eos venire, admonere paternè & benedicere eis uti Senior in Domino, & gratiam impertiri, alíquin sciret omnem multitudinem Monachorum ad se esse venturam, eo quòd omnis multitudo desiderat eum videre: antequam migraret ad Dominum. Qui cùm venisset in montem, congregata est ad eum omnis multitudo Fratrũ. Et rogabāt omnes Fratres, ut faceret ad eos sermonē. Ille autē lachrymās ait: ploremus fratres & producant oculi nostri lachrymas anteqnā eamus hinc, ne ignis corpora nostra comburat. Et fleverunt omnes proni in faciem suam, dicentes Pater ora pro nobis.

Si quæras? quid sibi vult iste ploratus generalis Macharii Senis lamentationis plenus? cur non adhortat⁹ est eos verbis satiùs charitate plenis, & consolatus Oratione dulci, & eorum sedarit desideria? cur non & verbis satiùs eis valedixerit æternum; sed ploratu, ad fletũ omnes provocans; ut doceret, quàm magna sit virtus, deflere peccata sua, quàm necessaria sit Compunctio; per eam peccata delentur, virtutes acquiruntur; per eam multi Deo placuerunt, Diabolum prostraverunt, vitia expurgaverunt, insuper ad misericordiam Dei pervenerunt. O Domine,

da & mihi misero super peccata mea quotidie lamentari; ut misericordiâ tuam consequi merear, antequam hinc emigrem.

Insuper, si & Arsenius alter Senex, qui tota vita sua lachrymas ex oculis profundebat, cùm iam iam moriturus ubertim fleret, quod videntes fratres, dixerunt ei. In veritate, & tu times mortem Pater? Et dixit eis. In veritate enim timor qui in hac hora mihi est, semper fuit in me: ex quo factus sum Monachus: & timeo valdè. O si nec fletus, nec timor securare hominem potest in hora mortis: Dominus enim, etiam Iustitias iudicat.

O me miserum! quid me fiet, sine timore & fletu vivente? quæ erit novissima hora mea? O si in viridi hæc fiunt, quid fiet in arido? Si columnæ cœli contremiscunt? quid ego pulvis & terra, quomodo comparebo? astabo? Iudicem meum deprecabor; reddam rationem villicationis meæ! ne peream!

CAPVT VI.

Mysteria Amantis.

O DEVS meus, quàm plenus est mysteriis Amor tuus? Non enim solum Cor nostrum vulnerat, & consumit, quandoque etiam aufert, dum in anima amante Incarnationem tuam renovat. Mente casta siquidē, anima amans Deum concipit; & dum in illa permanet, Incarnationem tu-

nem tuam renovat; ut etiam dicere liceat: *Et Verbum Caro factum est, & habitat in nobis.* † Id vel maximè dum Cor illuminat, accendit, & in se transformat. Ioan: 1.

Eheu quantũ est gaudiũ Cordi amanti Deum, dum in illo habitat, & illud vicissim in DEO. Iam illud tenebræ ullæ nõ cõprehẽdent nam lumen inhabitat, quod in regione æterna dominatur, seu ratio videndi seipsum, & in se omnia: Nam & Sancti in Verbo vident omnia in cœlo.

Bone DEVS, quomodo nos Complacentia facit Possessores Dei, dum trahit in nos eius perfectiones, & nos facit possessos à Deo, applicans & affigens nos Dei perfectionibus.

Eapropter & anima mea amans aspirat ad Nuptias Verbi, atque cum Rege Angelorum vult inire fœdus societatis, & ducere iugum suave amoris, ne amplius rediret in suam veterem vilitatem.

Si quæras cur Deus literas Nominis sui aliquorũ nominib⁹ ut Abrahæ, cõmunicet? Ideò, ut ostendat mysterium dilectionis suæ; & sic hominem diligat, ut etiam ei naturam suam communicare videatur, necdum bona sua, sed etiam seipsum, & Divinitatem dum dixit: *Ego sum merces tua magna nimis.* Gen: 15.

Similiter in Venerabili Sacramemento, annon seipsum DEVS communicat? eapropter & Communio dicitur. In ea nobis unitur, incorporatur, & unus Spiritus nobiscũ efficitur. Et hæc

communio dicitur Incarnationis extensio,ob mysterium ineffabile.

Sumptio quoq; frequens Sanctissimæ Eucharistiæ, an non disponit ad amorem hominem, auget gratiam, & penè in Extasim rapit.

Per amorem homo sui obliviscitur, ac in aliam Formam, Gloriam, & Facultatem transformatur, & Deiformis quodammodo efficitur.

Alia Forma nihil est aliud, quàm Divina natura, & Essentia, in quam ipsi, & ipsa in nos diffunditur, ut unum sint cum ea per Gratiam, non per naturam. Per eam homo alter Cheliab, qui similis erat Nabali, postea similis factus est Patri David. Sic & homo similis Deo efficitur, qui antea similis erat iumentis insipientibus.

Insuper quæ est alia Gloria? nisi Essentia in illo, quæ minui non potest illustrata à lumine. Ea propter erimus ei similes cùm videbimus sicuti est. quod innuit & Personale Divinum, dicente Apostolo. *Et Verbum Caro factum est.* nisi quod homo Christus, verus sit Deus. Hoc mediante Mysterio, Deus pios homines etiam naturæ suæ consortes facit. Amoris enim vis, quasi Deum constringere videtur, dum dicit: Num celare possum Abraham quæ facturus sum.

Præterea dum eum Sacrificia offerre iubet, dicens: *Sume tibi Vaccam trimem, & Capram trimem, & Arietem annorum trium, Turturem, & Columbam, & offeres Sacrificium.* Quid designat hoc Sacrificium trimum? nisi Mysterium, ex eius surre-

ctuross

ɛturos primo Iudices populi, deinde Reges, postremò Pontifices. Denique venturum Messiam Christum Dominum. O mysteria amoris quam recondita, & Sacrificiorum Oblatione velata.

Quid deniq; est alia Facultas? Quam quod ex eadem unitate præstatur homini quædam virtus, agendum & omittendum, quicquid ad eius salutem non pertinet. *Henricus Suso.*

Et hæc beatitudo supra memorata, secundùm supremum gradum omnem excedens facultatem, non potest obtineri in hac vita. Interim tamen non desunt, qui asserunt, inveniri homines, quosdam singulariter Electos, & exercitatos, qui tam defæcato ac Deiformi sint animo præditi, ut virtutes in eis iuxta quandam Dei similitudinem stabiles persistant: utpotè, qui in primi Exemplaris sint transformati unitatem, atque propemodum in perfectam temporariæ vitæ adducantur oblivionem. Et in Divinã transformati imaginem, unum cum illa effecti sint.

Quocirca ô Domine vita animæ meæ vide & considera, quia membra tua, & Caro tua sumus. Tu es Caput nostrum, ex quo totum corpus vivit, sicut scriptum est. *Os ex ossibus meis, & Caro de carne mea, Et erunt duo in carne vná.* Genes: 1. Et nemo unquam carnem suam odio habuit, sed fovet diligit eam.

Mysterium hoc magnum est dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia Fac me igitur per Spiritum S. intelligere, mereri, & debito semper ho-

nore venerari, hoc magnum pietatis mysterium, quod manifestatum est in Carne, justificatum in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum in gentibus, creditum est mundo, assumptũ est in gloria.

O quàm felix & amoris plena beata illâ anima, quæ mysteriis cælestibus repleta: dixit. Vidi Dominum in seipso gloriosum, seipsum purè amantem, & adaptè cognoscentẽ, infinitè sui capacem, & incompræhensibiliter seipsum cõpræhendentem, & me ipsam in ipso vidi.

O quomodo hæc anima amare non potuit, hac visione supernaturali illuminata, ac visione Mysterii Essentiæ Divinæ beatificata. & toties plusquam intellectus humanus capere possit in raptu detenta. Quomodo hæc, de mundanis & transitoriis cogitare potuit.

Quis intellectus enarrare præsumat, Mysteria Amoris cœlitùs S. Mariæ Magdalenæ revelata? quæ per triginta annos à Christo Domino visitata? hanc nihil aliud dixerim, quàm quoddam cœleste delicium, terrestre verò prodigium, ex homine in Angelum transformatum, dicam veriùs Seraphim incarnatum. O mysteria amoris, quia dilexit multum.

Miratur totus mundus mysteria Apostolo in tertio cœlo revelata, quæ non licet homini loqui? quis satis mirari potest mysteria S. Magdalenæ revelata cœlitus quotidie; ob quæ, eam non modò alloqui, sed nec videre homini unquam (nisi solis Angelis) concessum.

Quis

Quis denique mysteria D. Hieronymo desuper data deprædicabit? qui vivens in corpore toties Angelorum Choris interfuit? de corporeis sustentationibus per hebdomadas nil sentiens. Quid ibi manens (inquit ipse) felicitatis habebam, quid inerrabiliter delectationis sentiebam? Testis est ipsa Trinitas, quam cernebam nescio quo intuitu. Testes sunt ipsi Spiritus qui aderant, testis etiam Conscientia mea, qui tantis bonis ipse fruebar, quot & qualia nescit proferre mollities corporis mei, sed non potest Cor sæcularibus negotiis plenum, ad tantæ dulcedinis contemplationem, aspirare

O quanta amoris sunt mysteria! Si etenim Charitas ab Angelis, & hominibus tolleretur; pulchritudo etiam tolleretur: Sin autem restitueretur Cacodæmonibus turpissimis monstris, etiam pulchritudo restitueretur. *de Sales.*

Quocirca ô gloriose Deus & Creator, tu dedisti Angelis inæstimabiles thesauros, eosque ad clarè intuendam divinissimã Essentiæ tuæ faciem admisisti, in cuius splendores intuens Creatura, tota accêditur & ab illis amoris incendiis, prorsus absorbetur. O si me quoque saltem umbra amoris occuparet, & illustraret perpetui.

O utinam saltem langvens amor, aut emoriens mea viscera penetraret: amor enim dum langvet, magis pugnat, dum emoritur, vincit; dum iacet, triumphat. Quod idem videtur sentire & Apostolus dicẽs: *Cùm infirmor, potens sum.* † Si-

† Corin: 12.

militer & Sponſa dum ait primò *Amore langueo.* deinde vocatur. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.*

Quocirca anima mea, ſi ſapis, ſi habes Cor, deſine illa ſequi, quæ conſequi miſerum eſt. Beatus qui poſt illa non abiit, quæ poſſeſſa onerāt, amata inquinant, amiſſa cruciant. Sed attende & conſidera, quia Anima amans, Deum intellectualiter tangit, & ab ipſo viciſſim perficitur formaliter; quæ enim intelligentia in nobis Seraphici amoris poteſt fieri, niſi ab illo tangatur mens & perficiatur. Et hic tactus Dei non modò ſenſu, ſed etiam intellectu percipitur; Nam cognoſcendo intelligentia noſtra (quemadmodum ſenſus omnes, tactu quodam rem percipiunt ſentiendam) ita & intelligentia, imò multò magis cognoſcendo tangit, cum rerum intima penetrat, diſcurrendo. Sic quoque & Theologus, & Contemplativus uſque ad principium universi, tangere illud ſatagens, & viciſſim à Deo tangi credens aſcendit. Et exinde, ex mente & Deo, unum ſpiritum coaleſcere, ait Mercurius.

Amor tuus Domine eſt cœleſte myſteriū, per amorem tecum unum ſumus, & in te transformamur mortales. Nec mirum, quia eſt myſterium, eſt enim Donum ſupernaturale, & lumen quoddam, ſpeciale ſignaculum Electorum, ac pignus ſalutis æternæ, quod hominem de terris, ad cœleſtia amanda ſuſtollit, & de carnali, Spiritualem reddit. Quantò igitur homo externus magis premitur, & vincitur; tantò maior amor animæ in-

mæ infunditur, & quotidie novis Visitationibus Interior homo secundùm imaginem DEI reformatur.

Iure meritò igitur Amor Mysterium nuncupatur; Amore etenim velut quadam Affinitate, aut Consangvinitate tibi Domino sociamur, cõjungimur, imò similes reddimur.

O quàm fælix fortitudo amoris, hæc enim homines consecrat in Dei filios: quæ & te, hominibus dedit, & adoptavit in filium.

Vnde quidam optimè. Per Spiritum Sanctum quilibet Sanctorum Deus est: Deus Deorum, id est, Sanctorum locutus est, & videbitur Deus Deorum in Sion, id est Sanctorum. Charitas etenim quid non possidet? cui Deus insidet? hæc est supra tempora, Divinam sortita naturã, semper eadem, annos habens & nunquam veterascens. Charitas novæ legis genuina tessera est, in novitate Spiritus Christiani, non veteris sed novi hominis: non in vetustate literæ, sed in novitate Spiritus, ambulare debent.

O Domine conspice omnia quæ fiunt: quia viscerosa sunt valdè amoris tui mysteria. Mysterium Crucis eruit nos à potestate peccati. Mysterium Eucharistiæ eruit nos à potestate peccãdi. Mysterium Amoris, à potestate mundi, & cœlis inserit.

Vtinam me totaliter ex tua præsentia accendas, comburas, & in te transformes: ut unus tecum efficiar Spiritus, per gratiam internæ unio-

nis, & liquefactionem ardentis amoris. Vtinam jam totus ignescerem, & in memetipso deficerem, cùm tu sis semper ignis ardens, & nunquam deficiens, amor corda purificans, & intellectum illuminans.

CAPVT VII.

Deus diligentib⁹ se minores dat gratias.

DOce me Domine ô Abyssus multa quid est hoc? qui dum te diligentes diligas, & in Electis tuis mittas radices Amoris, omnes ames æqualiter ex parte actus amandi, *inæqualiter ex parte boni voliti amato.* Cur amantibus te minores præstes gratias, non amantibus te maiores? nonne dignus est mercenarius mercede sua? Nonne etiam scriptum: *Habenti dabitur, à non habente, auferetur.* Matt: 22.

Tu autem dicis, non veni vocare justos, sed peccatores. Ecce peccantes à te magis diliguntur quàm justi? Nonne melior Innocens Pœnitente? pares quidem ratione beneficij. Impares verò ratione vitæ si conservetur innocentis.

Sic tu Filium Prodigum recipiens Pater æterne, texisti eius nuditatem, ne à quoquam videretur, vestisti eum stola prima fecisti Convivium, ac Symphoniam gaudij: unde contra te Senior conquestus est. Ego semper tecum fui, & non dedisti mihi hædum ut vescerer cum amicis meis; Nonne melior censendus est, qui nunquam peccavit,

cavit, quàm Prodigus: Nonne etiam plus amas Angelus, quàm homines, quia Angeli boni nusquam peccaverunt. Et tamen apprehēdisti semen Abrahæ, nusquam Angelorum. O mysteria Amoris Dei! O altitudo divitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei!

Similiter quoque, *maius est gaudium in cælo, super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta novem justis*, † id est, novum gaudiū ratione vitæ ferventis? Nonné meliores Sancti & justi? & tamen non gaudet cœlum, dum justi sanctè vivunt.

Sed dum peccatores pœnitentiam agunt, & convertūtur ad Cor. Vnde cognoscimus in quantum licet, quod Iustos amatores minus amas; non amantes peccatores magis amare videris, quia maiores gratias eis præstas, eos adiuvando auxilijs gratiæ. Et quis ignorat, quia Imaginem & similitudinem tuam æternam Christum Dominum magis amas, quàm totū mundū? Christi enim assumpsisti Humanitatem per Vnionem Hypostaticam, totus verò mundus in maligno est positus. Verumtamen propter mundi salutem dedisti eum? ac ut servum redimeres, Filio tuo Vnigenito non pepercisti? Maiorem gratiā mundo præstitisti & amorem, Filio autem tuo maiorem gloriam.

Et cur ita? num quia malè valentibus opus est medicus, non verò benè habentibus. Sed satiùs dicam, Ratio facti potentia facientis.

† Luc: 15. O Do-

O Domine vide me quoq; filium Prodigum, quia sum pelagus peccatorum, & da amorosam pœnitentiam: de qua Cœlum, & Angeli gaudere valeant: & ego in meliùs reformari possim.

Ferunt Historiæ, Adrianum Pontificem Maximum ad sepulchrum D. Petri extrui mandasse instar turris Pharos, Candelabrum continens in se 1360. lampades accensas. O quàm pulchrū de nocte spectaculum. Sed ô Amor Dei dulcissime, quis lampades numerare poterit, quis ignes, quis flammas, quis gratias, quas minus te diligentibus largiri dignaris? vnde dictum. *Qui caret lumine, caret flamma.* Lampades tuæ, lampades ignis atque flammarum. Vtinam & in corde meo, tot lampades Amoris tui accenderentur & lucerent: ne mihi ut stultis Virginibus dicas, quarū lāpades extingvebātur. *Nescio vos.* Luc. 13. Iā uerò ut indigno præstes gratiam, accendas, & inflammes. ut Abel sacrificium. & benignè suscipias.

Iam ergo ô Suprema & infinita Bonitas liceat mihi exclamando ad te clamare, sum tuus Domine & alterius non debeo esse quàm tuus, anima mea tua est, & non debet vivere nisi per te, mea voluntas tua est, & amare non debet quàm te. amor meus tuus est, & in alium tendere non debet, quàm in te, ego te amare debeo, uti meum primum principium, siquidem sum ex te, debeo te amare, ut meum finem, & quietū terminum, siquidem propter te sum: debeo te amare plusquā meum proprium esse, siquidem meum esse subsistit per

te, de-

te, debeo ego te amare plusquam me ipsum, siquidem totus tuus sum, & in te totus.

Atque ideò, quia verus homo non est, qui vivit absq; inclinatione amandi Deum plusquam se, nec eam apprehendit. Nec verus Christianus est, qui hanc inclinationem non exercet.

Iam ergo huic sancto Exercitio innixa anima mea exeat ex hoc corpore, exeat ex hoc mũdo, ex his phantasmatibus, ut eo facilius te Deũ amare, & spiritualia concipere possit.

Tu verò ô Deus meus tene mentem meam, spiritum, animam, & Cor meum apud te, qui es amabilis ad contemplandum, pulcherrimus, & in quem Angeli desiderant conspicere ad videndum, delectabilis ad gustandum: & ne excedas mentem, & Cor meum, & Spiritum meum, noctes diesq; te quærentem, & quærendo atq; anhelando languentem. Quia amore langueo, contabesco, & studio tui inveniendi beneficio: in te totis viribus & visceribus migrare incipio: Et dum desideria diutius differuntur, lassatur affectus, exhauritur spiritus, & tamen crescit amor, inquit Ambrosius

CAPVT VIII.

Amor Paßionis Christi meditatione inflammatur.

QVicunque amare Dominum IESVM Christum, & in eius amore proficere desiderat, & ma-

& maximè si fuerit afflicto animo & amaro audiat Citharam suavissimos sonos modulantem; & suaviter aures perstringentem, id est, Passionis & Mortis Christi memoriam meditetur. Passio Christi summum remedium, ultimum refugiũ. Hoc remedio Peccator, à pœna & culpa absolvitur, & in novam assumitur gratiam. Hac Passionis melodiá tacta anima mea, ut Memnonis Statua Solis radijs; ad te DEVM conversa, Cor suum tibi aperit, ut Passionē tuam in se recipiat, ac eam meditetur. Et quemadmodum vernantes rosæ, erga micantes Solis radios sese exilimant. Sic anima mea suavissime IESV, in finem affectus seu desiderij sui ulnas, ad Passionē tuam amplectendam latissimè diducit & expandit amans. O dulcis IESV, qui pro me dolores mortis passus es, ne sinas ex anima mea, & cordi meo acerbissimam Passionem abire. En oculi mei, perspiciunt emortuum vultum tuum. Anima mea exosculatur cruēta vulnera tua. Vnde omnes sensus mei reficiũtur ac cibantur, hoc fructu suavissimo, sub hac vitali Crucis arbore, idq; sanè & justè.

Tui Amoris auxilium imploro, tua vulnera rosea, quæ sunt plena salutis saluto, glorifico, & exosculor. Osculor Cor tuum dilectissime Domine, pro mea salute lancea crudeliter transfixum. In vulneribus tuis pupillas oculorum meorum, & Cor meum depono, ùtinam & ipsemet totaliter immersus & absorptus esse merear.

O amo-

O amorem crudelem, sævum, rigidum & severum cur Maiestatem laceras? cur bonitatem damnas? cur in DEVM pijssimum tam crudeliter sævis. Verè *fortis est ut Mors dilectio*. Cāt: 8. Dilexisti enim me plus quàm te, quia mori pro me dignatus es.

Vtinam hæc vulnera corpori meo ut Francisci & Claræ impressa esse possint, unde amore accensus, & dolore vulneratus, totus abhinc vulneratus repeto, dicā cum Sponsa, *Vulnerasti Cor meum*. Cant: 4 Omnem enim spem meā & consolationem reposītā habeo, in tua Passione, morte, doloribus, satisfactione, expiatione, ac tuis meritis.

Exinde dum Passionem tuam recolo, Cor meum sentit vulnus blandumque dolorem, ac amorosam liquefactionē, deniq; excessivū quoddam experimentum, & mentis excessum; unde nil verbis proloqui nisi lamentari scio & possum.

O Splendor admirabilis lucis æternæ, quam prorsus extinctus es mei causa. Quæso flammas vitiorum meorum, & malarum cupiditatum ardorem in me penitus extingve.

O Speculum sine macula Divinæ Majestatis, quàm miserè es contaminatum, & cōspurcatum. Expurga obsecro sordes & maculas grandes vitiorum meorum.

O Imago pulcherrima Paternæ benignitatis, quàm turpiter defædata ac deformata es, reforma ac redintegra depravatam & luridam animæ meæ faciem, sive speciem.

O A-

O Agne Innocentiſſime, quàm crudeliter & inhumaniter divexatus es, ſatis fac oro, & expia ream, vitijsq; obnoxiam vitam meam.

O Rex Regum & Domine dominorũ, quàm miſerandum in modum animæ meæ obtutibus hîc te jacere extinctum conſpicio. Præſta mihi, ut ſicut nunc anima mea, te abjectum cum dolore, & lamentis amplectitur, ita tu eam in tua æternitate cum gaudio amplexeris.

O Domine ingens Charitas tua in ineffabili Paſſionis acerbitate relucet, haud Sol in ſuo ſplẽdore, vernans roſa in ſuo odore, ignis vehemens in flagranti æſtu ac ardore. Vtinam me quoque accendat, inflammet, & æſtuare faciat.

Paſſio tua eſt oſtium, quâ intratur ad DEVM cognoſcendum. Sine humanitate tua, quò quis in cognitionem Dei aſcendere voluerit altiùs, eò magis collabetur.

Eheu quis mihi dabit, te crudeliter divexatũ amplecti, & tuam Crucem! Heu moriar ego infælix peccator! Crucifigar! dummodo Redemptor meus glorificetur, & vivat in corde meo, & omnium fidelium.

Vivat IESVS, MARIæ Filius, quem vicit, (ut ſuas vires probaret) Amor. Dominus meus & indigna paſſus eſt, ejus enim Divinitas, niſi per humanitatem cognoſci utcunq; poteſt. Exinde etenim & merita eius inexhauſta, & noſtra Redemptio.

Neque fas eſt, ſervum delicijs diſſolvi, Domino in

ſuo in acie fortiter confligente, & triumphante in Cruce. Crux etenim Chriſti dicitur inteſtina omnium triumphorum, ac totius mundi diluviũ dicẽte Pſalmiſtâ. *Intraverunt aquæ uſq; ad animam meam*. Pſal 64. Lignũ Crucis idcircò nunc adoramus, quia antè majores noſtri Deos ligneos adorabant. Crux ſiquidem eſt præſidium Paſſionis, & præmium Reſurrectionis.

O me miſerum! quis dolores Paſſionis & mortis Chriſti condignè explicare poterit? dolores Redemptoris, & Salvatoris, quorum nos infelices immemores & ingrati ſumus. Ingrati, nam rurſum Chriſtum peccatis noſtris, retractãtes adimplere, quæ deſunt paſſionum Chriſti; crucifigimus, fugientes Crucem ejus. Et ſequimur eum tantum quoad Præcepta, non autem ad vitam, & mores. Non eſt inter nos Simon Cirenenſis, qui ferret ſponte Crucem cum Chriſto. Non eſt Andreas qui affectanter & ſuaviter Crucem ſibi ad mortem præparatam amplectaretur. Ob quam ingratitudinem noſtram (etiã peccata nobis per Exomologeſim dimiſſa) redeunt ſæpenumerò.

Idcircò crebræ mihi ſunt perferendæ mortes, Corpus ſub jugum mittẽdum Cruenti ſudores effundendi, acerbæ afflictiones ſubeundæ; ut ſic me ad ferendam Crucem, & paſſionem recolendam, Domini mei, præparem.

Paſſio Domini mei in pectore, materna fide, & intima charitate circũferenda eſt. Imò ne-
 ceſſe

cesse est mihi, affectibus, & meæ volũtati mori.

Dominus enim meus amaritudinib⁹ me probare, & exercere vult: & exigit à me, ut quovis tempore sequar eius voluntatem, & sim ex animo obediens, & patiens; imò dicit. Da sangvinem, accipe spiritum.

Pati etenim maius est miraculum, quàm mortuos suscitare. Patientia ipsissima est Dei natura. Ideò etiam Christus Lazarum ab inferis postquam suscitavit, vincula tamen non solvit, ut ostenderet, non tantùm mortuorum resuscitatione, tantùm vinculorum tolerantia proficeret homo.

Quidam multo tempore, & multa ac varia tormenta ob amorem Christi passus, omnis consolationis expers, ac miserè afflictatus, statum suum Domino exposuit in Oratione, petijtque jam tandem miserijs finem, imponi. Cui Dominus de Cruce respondit: Scias, quia volo te etiam multò maiora pati, ab hominibus nihili pendi, & contemni, ut sis solius mei dilectus, & unicè mihi charus. Idcircò te eò magis affligens affligam, & non parcet tibi oculus meus. Vnde constat, quod patiens homo plus meretur, uno anno; quàm foras erumpens tribus. Nam injuriâ opprimi, & tacere, amicorũ Dei victoria est. Passio Domini: Est via vitæ, via gloriæ, via regni.

Beatus igitur, qui in patientia vult possidere animam suam, & non pluribus utitur verbis

in sum-

in summis doloribus, atque modis: plura namque verba, multique modi, plura quoque adferunt accidentia, & imagines.

Si igitur Christus crucifixus, & eius amarissima Passio dominaretur Cordi meo, & in illo tanquam sede amoris remaneret. O quàm homo internus & externus patientiam amplecteretur, & quàm maximè amoris mandáta obseruaret, & quod desunt Passionum Christi adimpleret. Quos ardentes affectus, & desideria, ac intentiones excitaret?

Adversis siquidem probatur Amor, affectio pensatur periculis, pœnis examinatur dilectio, & morte perficitur. Et nemo sincerè amat qui se casibus non exponit: & maximè ideò

Quia Amorem Dei nemo lucrari potest, nisi per integram ad DEVM Conversionem, & á corporeis integram aversionem, & corporis afflictionem, & castigationem, docente Apostolo. *Castigo Corpus meum & in servitutem redigo.*

Quocirca ô anima mea, si vis adversa pati & renuis interiùs cõsolari, necesse est speculari cœlestia, & frequenter iubilare interius amore plenam.

Sicut enim Sol in radiis, nõ in sua Sphæra cognoscitur, ita tu Domine dum Cor meum afflictionibus & doloribus reples. Rosæ inter spinas colliguntur, flores ex graminibus. Amor tuus inter Visitationes cognoscitur, quia quem amas castigas.

Iure meritò magnus ille Apostolus Andreas, tam ferventi affectu calicem tuum Domine affectavit bibere, atque Crucem morti præparatam cum iubilo amplexus, dicens: *Salve Crux pretiosa.* Salve ô tribulatio beata O afflictio sancta, quam tu es amabilis, è sinu siquidē Patris æternæ misericordiæ egressa es, qui te ab omni ævo pro me, & pro charo isto populo destinavit. O Crux pretiosa, quàm intimè te Cor meum desiderat, quia Deus te voluit. O Crux quàm anima mea te amat, & tota latitudine suæ dilectionis amplectitur. Denique ex hac Cruce vox sanguinis Domini, de qua ApostolusS Paulus: *Videte, ne recusetis meliùs quàm Abel loquentem, clamat ad nos. Clamat & ad Patrem pro nobis intercedendo, & iterùm ad imitationem suæ Passionis excitandò.* Hebr: 12.

Sicut enim Christi Corpus est duplex *naturale*, quod sumptū de Maria Virgine, & *mysticum*, quod est Ecclesia, ita & Sangvis eius duplex, *naturalis* qui semel in Cruce pro nobis redimendis, effusus est: alter *mysticus*, qui in sacra ejus mensa, & quotidie in S. Sacrificio Missæ funditur.

Vtinam hæc vox sanguinis accenderet Spiritum meum, ad recolendam quotidie Passionem Domini. Vtinam vox sangvinis Christi viscera & Cor meum penetraret, tanquā lanceā Longini militis, & meum in lachrymas dolorem verteret Lachryma siquidē est Passionis Christi vicaria.

Nec si-

Nec sine mysterio mortis & Passionis tuæ Figura Serpens æneus à Moyse in deserto conflatus fuerit: vt enim illum aspicientes Iudæi sanabantur à morsu, & morte, ignitorum Serpentũ.

O quis Imaginem Crucis, & mortis tuæ probrosæ adorans, credens fide viva salutarem, animæ mortem non effugiet? Crux tua est cœlestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis, vivificum lignum vitæ. Crux tua est triumphus noster. Quam quoties miser peccator considero, toties Seraphicis ardoribus accendor, & supra quam cogitari potest emollior, atque simul consolatione & compassione summa præoccupor.

Crux tua Domine pulchrum Speculum Smaragdinum Amoris, quod quoties intueor, toties miser præ gaudio & dulcedine animo deficio, nam in eo vivam & quasi spirantem plagarum & vulnerum, nec non & probrosæ mortis repræsentationem sentio. Et toties meipsum Crucifixum meditor; & sauciatum amore tuo.

Potentiam Crucis expertus Beltrasdus, dum enim jam sese hostis aggrederetur, & sclopũ ad occidendum intẽderet, nec spes effugij esset, parato in necem animo hosti benedixit. Et tu ô Deus sequester adfuisti, & sclopum in Crucem, à qua imago suffixa pendebat, convertisti. Hem quanta Crucis tuæ potentia. Illa est confirmatio gratiarum cœlestium, vita Iustorum, Christianorum salus, Electorum spes. Peccatorum resipiscentium iuvamen, Incipientium pas-

ſionum edomatio, Proficientium progreſſus in virtutibus, Perfectorum unio cum Deo.

Sed nec mirum, tu enim factus es in Cruce Spectaculum Charitatis, ideò neminem ſine oculis adeſſe voluiſti, & cæco militi viſum reſtituiſti, Crux tua eſt Cathedra amoris, in quam elatus Idiomate amantium locutus es. Ore clauſo, cor aperuiſti, quo ſermone fideliorem interpr ætem doctrina cordium hactenus non invenit. In cruce latus tuum, quaſi portum ſalutis naviganti in cœlum amico mundo & ſimul pectoris tui arcana pandiſti. In Cruce oculis & corde fleviſti, ut hoc remedio vim ardoris temperares.

Cœleſtis Phaëton incenſo mundo merſus es in aquis fletus lateris, plus quàm Eridani. Qualis enim ſudor in horto fluxit ex corpore, talis in Cruce manavit ex Corde: O qualis, & quàm potens amor tuus Domine etiam in dolore, nam è Cruce in petra officinam ubi Amor tuus tela procuderet, habuiſti. Heu me! quantus, & quàm inſatiabilis amor tuus, qui effulget in paſſione. Non ſatis fuit tuis pijſſimis viſceribus confuſione conteptâ ſuſtinere Crucem, & Mortis Inferniq; abyſſos calcare, quinimò vulnera redivivus retinuiſti. Illa, illa velut ora inaudita facundia Amorem tuum celebrant & prædicant. Illa perfectam dilectionẽ inculcant. Illa Civitates Refugij nunquam clauſa, ut facilior ſit reis ingreſſus. Illa Arca Noë in qua receptacula extructa ſalvandis patent. Illa, ubera ad

abla-

ablactandos dilectos multiplicata. Promptuaria aperta Ostia, per quæ intrāt fideles in Ovile. Illa Soles plures, quibus frigescentis mundi corda incalescunt. Denique fenestræ apertæ, per quas exæstuans Deus copiosiùs respirat, ac Cor eius amans ac fervens charitate ab omnibus introspicitur. Ideò etiam simplex Passionis tuæ memoria, superat mille mortificationes, peregrinationes, jejunia, & eleemosynas. Vtinam & me miserum salvet & conficiat. Propterea si quæras quod est Exercitium vtilissimum? Vt à seipso secundùm suam proprietatem cum profunda sui resignatione, deficiat homo, cunctaque non ex creaturis, sed à Deo accipiat, & tranquilla quadam utatur patientiâ, erga quoslibet Lupinos homines.

Secundùm, quod & maximè doleat homini? Quam ut si derelictus sit à Deo, seipsum patienter exeat; atque Deo propter Deum careat.

Quid verò recreationis in hac vita præstiturus esset ijs, qui illius causa multa forent perpessi? dum quidam interrogasset? Interim raptus in Extasim, & ex Divina illuminatione doctus, respondit.

Gaudeant totis animis, & visceribus, & infracto spiritu, quotquot afflicti sunt, & suas Cruces animo resignato perferunt. *Henric Suso.* certi videlicet: patientiā suā immensis donatam præmijs, ut enim multis ipsi hic facti sunt miserabiles, ita innumeri perenni afficientur gaudio spi-

rituali, ac divino, ob illorum præcipuam gloriã & laudem semper duraturam. Mecum hic emeriti sunt, unaque mecum resurgent. Porrò tria his peculiaria præstabo gaudia. Quodcunque enim optaverint semper impetrabunt. Divinam eis impertiar pacem meã, quam nec Angeli, nec Dæmones, nec homines eis eripient.

Insuper intimè exosculabor, tantaque intus suavitate amplectar, & unum prorsus mecũ sint, atque æternum perseverent, sintque ipsi in me & ego in illis. *Suso.*

Vnde nescio, sitne laudandus quidam afflict⁹. qui dicere ausus est. Domine Deus meus (liceat mihi ad te dicere) solusne ego sum maximus peccatorum, & omnes alij iusti, ut in me miserum semper & seuerè animaduertas, atq; corpus meũ duris ac diuturnis excrucias morbis, & afflictionibus. *Nunquid ego cete sum? nunquid Caro mea ænea est?* dixit sapientiæ symbolum Iob cap. 2.

Et maximè, dum me alloqueris dicens. Suspice cœlum, & si potes innumeras numera stellas ita etiam poterisne eventuras tibi afflictiones numerare? Sed utinam uti stellæ licet sint pergrandes, nobis tamen exiguæ, (à longè etenim eas videmus) apparent.

Ita tuæ Cruces & afflictiones, quas me pati placet tibi, sint leues moderatæ & dulces, ne miser deficiam.

Sed simplex & impatiens homo, frustra necdum doloribus oppressus quærularis? nec vis calamita-

lamitatibus involui, qui hucusq; vbera ſuxiſti, velut infantulus nec dum ablactatus, atq; in Divinæ dulcedinis affluentia tanquam in pelago nataſti, nec quicquam profeciſti in patientia. Imitari velis Virginem roſas carpentē, quæ non contenta vnam de ſentibus decerpſiſſe roſam, ſed odore ac pulchritudine illecta plures colligit. Ita tu quoq; una abeunte Cruce, ſis animo promto ad aliam è veſtigio capeſſendam. & ferendam doloris ſeu Crucis Roſam. Coronam Deus indus voluntatem, ubi invenit facultatem.

Imitari contendas & illum Canem, qui per mediam plateam pannum detritum appræhendens, quo pedes obuoluuntur, mirumq; ludum illo exercens, nunc ſurſum, nunc deorſum iactitat, vnguibus lacerat. Sic etiam & te, in dies exerceri & deprimi oportet, vt ſuper te, & in te excreſcat Roſarium peramœnum, vernantibus patientiæ roſis plenum. itemq; purpureis rubicundis Paſſionis Chriſti floribus, odore cœleſti fragrantibus & redimitis.

Sed cùm miſer & fragilis, vento infirmitatis abripiar. Exoro te Domine, vt te ſemper præ oculis habere, & indeſinenter Cor meum ad te in omni dicto & facto, reflectere valeam, & ad tuam Paſſionem. Inſuper ô Deus meus, quis mihi tribuat, vt ſiue ambulans, ſiue ſtans, ſiue operans, ſiue manducans, ſiue dormiens, &c. te omni tempore habeam præſentem, & veraciter impreſſum Cordi meo ita vt dicere poſſim cum ſponſa.

Inueni eum quem diligit anima mea: tenebo eum nec dimittam. Cant: 3.

I. Sermo Christi.

O Homo vide quæ pro te patior,
Vide Pœnas, quibus afficior.
Ad te clamo, qui pro te morior;
Vide clauos: quibus confodior.
Et cum tantus sit dolor, exterior:
Intùs tamen planctus est grauior;
Dum tam ingratum; te experior.

II.

HVc me sidereo descendere fecit Olympo,
Hîc me crudeli vulnere finit Amor.
Lãgueo nec nostro quisquã illachrymatur Amori,
Quem nequeunt diræ, frangere Iura necis.
Pungentem caput, & cerebrum gestare coronam
Cogit Amor: cogit vulnera tanta pati.
Felle sitim nostram, & mixto satiauit aceto
Mi pectus læta, cuspide rupit Amor.
De me solus Amor, de Regum Rege triumphat,
Ille pedes clauis figit & ille manus.
Si cupis ergo animi mihi signa rependere grati
Dilige pro cunctis, sat mihi solus Amor.

III.

O Amor, o pietas nostris bene prouida rebus
O bonitas! serui facta ministra tui.
O Amor, ô pietas nostris male cognita sedis
O bonitas nostris, nunc propè victa malis.
Da precor huic tanto, qui semper feruet Amori

Amo-

Amorem in noſtro, pectore viuat Amor.
Vt dum mortalis, perfunctus munere vitæ
Ductus erit Dominum, Spiritus ante ſuum.
Promiſſi regni fœlici ſorte potitus
Non Dominum, ſed te, ſentiat eſſe Patrem.

CAPVT IX.

Extaſes variæ.

CHaritas Chriſti vrget nos, † æſtimantes hoc, quod ſi unus pro nobis omnibus mortuus eſt, Ergo omnes mortui ſumus, quia pro nobis mortuus eſt Chriſtus. Sed quomodo Charitas Chriſti vrget nos? Vrget; dum eam æſtimamus cōſideramus, ponderamus meditamur & attentè æſtimamus, ut articulum fidei. Qui vivunt non ſibi vivant, ſed ei qui mortuus eſt, & reſurrexit pro nobis. Iamq; non alio titulo vivam; vitā, quam quod ille pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Ideò nobis dicitur mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quos vivos mortuos, & mortuos ſubintellexit Doctor gentium in ſe Extaticos, ſive ſupra ſphæram conditionis naturalis, per raptus, ſuſpenſiones eo Exſtaſes, ſortes & arctas vitam in terris agentes. Superant huiuſmodi ſemetipſos, ſeu ſuas inclinationes & affectus. Moriuntur huiuſmodi homines, ut Phænix igne amoris, & iterum vivunt, in gratia & iuſtificationibus Domini, nec quiſquam Vnquam ſanctus extitit, qui Exſtaſſes

† *ad Corint* 2.

& Ra-

& Raptus vitæ, & operationes earum non habuerit. Ecquid aliud est enim Exstasis, nisi attractio Divina tua, qua nos attrahis ad te, nos autem in quantum per illam eximus, & manemus, extra nos, capti mirabiliter dulci & suavi illiceo tam pulchritudinis, quàm bonitatis tuæ, quæ nos attollit fortiter, & arctè rapit, ac pœnitùs attrahit sursum voluptatis ardenti motu, & tunc in Exstasi seu raptu esse dicimur.

O suprema bonitas, ô incredibilis pulchritudo Deus Pater omnis luminis, pro tua excellenti pulchritudine, attrahè meum intellectum ad contemplandum; pro tua verò bonitate maxima, attrahe meam voluntatem ad te amandum. Tuæ pulchritudinis venustas cumulet Cor meum delitijs, respurgat bonitas amorem Exstaticum, Exstasis ab amore propendet, amor est qui eam inducit, non enim patitur verè amãtes suiipsorum esse, sed rei amatæ. In Exstasi amor à se egreditur, & non vivit propria vita, sed vita, sui dilecti vt summè amabilis. O excellens pulchritudo Deus, tange per tuos suaves illectus animam meam, quæ iam capta vibrat se, & transfert in te, derelinquit suas propẽsiones terrenas & desideria mundi & Carnis. O Dilecte mi, vide & considera, quòd media sit vita mea, inter Angelorum & Bestiarum vitam. Percipió Angelorum vitam in parte sensuali. Adiuva me ergo, ut per serium vitæ exercitium, compunctionem, meditationem, & continuam

ac vi-

ac vigilantem suiipsius curam, possim exire, ex media conditione, & applicando se, & impigrè exercendo in actionibus intellectualibus meipsum similiorem Angelis, quam bestijs, reddere, Verùm id nullo alio modo præstare possum nisi per Extasim, quæ, quàcunq; parte fiat, istiusmodi sunt supra seipsos, tacti delectationibus Divinis & intellectualibus & ab ijs sinunt Cor suum libenter abripi: per fælicem & desideratum exitum, per quem intrantes in statum nobiliorem, & excellentiorem ita sunt Angeli per operationem suarum animarum, quam sunt homines per substantiam, suæ naturæ, & tam Angeli humani, aut homines Angelici dici & vocari debent. Dum enim ad te Deum & ad res cœlestes abripiuntur, perdunt omnia quamdiu durat eorum Exstasis, vsum, & attentionem sensuum, quin & motus, & omnes omninò actiones exteriores; eò quòd, illorum anima, ut integriùs & attentiùs suam virtutem, & activitatem applicet ad te suum Obiectum eas recolligit, & retrahit ab omnibus alijs Obiectis.

Obsecrò igitur per viscera misericordiæ tuæ, trahe & me ad te, quia odor tuus excitavit in me Concupiscentias æternas, trahe delitioso Amoris illicio, ut intret anima mea in Extasim non solùm Cognitionis, sed etiam Fruitionis. non Admirationis tantùm sed etiam Affectionis. non Scientiæ sed Experientiæ non Visus, sed & Gustus, ac Saporis. Multi siquidem habuerunt excessum

cessum Cognitionis, quem tamen non est secut' excessus Amoris, & Philosophi antiqui & permulti Docti. Ast quid eis profuit excessus Cognitionis, & non Amoris. Itane nomen Philosophorum, apud huiusmodi homines, quod nihil aliud significat, nisi amare Deum.

Similiter & Prophetæ quidam fuerunt in raptu, & visiones Propheticas habuerunt, ut Saul, Balaam, Caiphas, *sed facti sunt velut æs sonans, aut cymbalum tynniens.*

Vice versa non pauci Christiani Eremitæ habuerunt Extasim seu excessum Amoris ut Stillites. Siluanus, & permulti Rustici simplices quos tamen non est secutus Cognitionis excessus sed Visionis. Eodem spectat & extasis Admirationis, sola existens non facit meliores, ut & Gratia gratis data, teste Apostolo. *Si linguis loquar hominum & Angelorum, si omnia mysteria nouerim &c. Charitatē autem non habeam, nihil sum.* Corinth 15. Id est si Exstasi caruero Amoris & Charitatis.

O Dilecte mi Domine quandoquidem hæ Extases sunt per se solæ minus efficaces. Da mihi igitur omnes simul, Voluntatis, Intellectus, & Admirationis. Communicent hæ duæ facultates inter se, suos raptus, & intuitus pulchritudinis inducat in Amorem, Amor in Contemplationem, & Admirationem, ut Sol suis radijs non modo illustrat, sed etiam calefacit.

Sic Amor tuus producat in me Extasim non solum Cognitionis & Amoris, sed etiam Admiratio-

ratio-

rationis, qualem habuit Regina Saba.

Quodſi, & illi, qui turpi voluptati immerſi ſunt, videntur in Epilepſiam prolabi, nam totus remanet abſorptus, & obrutus unde Exſtaſim patiuntur.

CAPVT X.

Quæ ſit ſublimitas Amoris.

ET quoniam magnus eſt Amor; quo anima per ſemetipſam fiducialiter accedit ad Deũ, Deo conſtantet inhæret, familiariter percontatur, conſultatq; de omni re. O quis mihi dabit amorem Domini ſtabilem, ita, vt nihil poſſim aliud deſiderare, cogitare, niſi eum: cætera omnia ut ſtercora cõtemnere, abijcere, omneſq; humanos favores, & amores uti cæcos, faſtidire, & abhorrere.

Ac proinde quis me docebit miſerum & abiectum, de regno cœleſti conferre, ac de tua beatitudine, & gloria quotidie audire, ut ſic poſſim ab huius mortalis, perituræq; vitæ ardoribus, periculis, & ſudoribus, ſub tuæ vitalis auræ dulci refrigerio tranſire, & tranſiens in ſinu tuo terſum caput dormiturus vel paululum, declinare.

Hujus rei gratia Scripturarum ſacrarum amœna prata ingredior, viridiſſimas ſententiarũ herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando in alta

memo-

memoriæ sede repono ut tali modo amoris tui dulcedine degustata, minùs istius miserrimæ vitæ amaritudines, distractiones. dulcedines, uti nugaces, fallaces, sentiam. Erravi toties & per tot annos vitæ præteritæ, fateor sicut Ovis perdita. ac incolatus meus prolongatus est, atq; procul proiectus sum à facie Domini mei, in huius exilij cæcitatem

Vbi expulsus à Paradisi gaudijs, deploro quotidie mecum super miserias captivitatis meæ, lugubre carmen, ingentesq; nænias & lamentationes cum recordor tui Mater Hierusalem dum stant pedes Cordis mei in atrijs tuis Sancta & decora Sion.

Iam ergo *discedite à me* procul *omnes qui operamini iniquitatem*, Psal. 6. in Corde, affectibus, sensibus externis, & internis. omnes amores mundani uti varij, cæci, uester enim teter & vesanus Cupido, nihil aliud est, quàm ardens furor phantasiam fumo opinionum replens errorum ventis, somniorũq; procellis exagitans, nam somniare & amare idem est. Vester amor vesanus, abominabilis, quem cæperit exagitare, illum non modo Caro & Sangvis, verùm etiam infernales incantationes, carmina, præstigia, *Herba Caritoblepharon ac etiam Fluuia suo succo calido pronocat, & vsq; ad mortem propellit.*

Huius amoris sordidis tedis accensa Ero, in errorem Cupidinis delapsa, Aras Divorum, & castam vitam prostituit, unde etiam miserè miseram

ſeram vitam finivit. amiſſo Leandro.

Heliodorus Epiſcopus Tricinenſis Epiſcopatu ſuo ſatiùs decedere, (quod eſt mirandum & timendum) quam libros ſuos de Charileæ Amaſijs conſcriptos Vulcano tradere maluit.

Camma amore amiſſi mariti Synati, ſibi & Sinorogi ad altare mortem propinavit. O amor. ô furor, ô ardor. O amantes, amentes.

Heu quam impij hi amores totum penè mũdum occuparunt & ſub iugum duxerunt; qui insuper etiam amatis faſtidiunt ac odio concepto nec intueri ampliùs poſſunt. Sic Aman ſuam ſororem antè ardenter amatam, poſt, nec videre potuit præ odio ideo domo, expulit.

Deſpectus nec amato parcit, repulſam paſſus mortem machinatur. Sic Vxor Putiphari, Ioſeph caſtum amatum, uti timentem Deum in carceres (brevi in mortem conjectura, dedit.

Senes impij Suſannam caſtam criminis inſimulârunt, mortemq; ei machinati ſunt, niſi à Daniele (puero adhuc) defenſa fuiſſet, *Daniel.*

Quodſi hanc vulgarem Venerem deſpicit Propheticum genus. quidni deſpiciet Creator Omnipotens, quæ enim conventio luci cum tenebris? Vitæ cum morte? Chriſto cum Belial?

O quis mihi dabit lachrymas? ut poſſim deflere iuventutis meæ: annos? non enim in nobis prius eſt quod Spirituale, ſed quod animale.

Ælianus Stupefacta Roma ingenio & arte cuiusdam hominis, qui ita laborauit, ut duodenos Elephantes musica imbutos, ad numerum fecit saltare, quod ubi comparatum est, ipsum Canora Cythara insignem sequebantur vastissimæ illæ Elephantorum moles voce & saltu adeo sublimiorem Citharæ numerum obseruantes, ut Romanis extiterint ad miraculum.

O quis dabit audire dulcisonam Citharam non iam alicuis Apollonis sed satiùs Angeli & Cantica, utiq; S. *Amadeo* toties Angeli & Citharas pulsarunt, & cecinerunt, dulcedine cœlesti eius præcordia exhilarantes & ad gaudia futura accendentes, ac disponentes & ad amorem.

Quos enim affectus, quas dulcedines amoris, non suscitabit in corde miseri hominis præ amaritudinè vitæ deficientis, Cithara amoris Dei. Per musicæ sonum & cantum & in Prophetas Spiritus Dei ascendebat, seu irruebat. O quanta Spiritûs Dei amoris fortitudo.

Taceat iam ergo Amphion cum sua Lyra, cui etiam saxa paruisse perhibentur.

Taceat & Orpheus, & desinat blandis digitis chordas Citharæ impellere, qui ad se non modo, pecudes, feras, saxa: arbores pelliciebat. Insuper Euridicen ab Inferis defunctam revocare conatus est.

Eheu, quæ est dulcedo musicæ amoris tui Deus? quam mirificè suaviat, ineffabiliter prælectat, potenter afficit. furorem depellit, iram sedat

ſedat, vultum ſerenat, cor exhilarat, & tonus eius Spiritibus imperat. Sed nec mirum, nam totus es dulcedo, totus harmonia.

Quocirca, ſonet vox tua dulcis in Corde meo * in auribus meis, & excitet in me languente amoroſæ dilectionis Spiritum, concutiat hic Spiritus penetralia Cordis mei & affect⁹ meos ac ad amorem ſublimem incendat, ac cōponat affectus meos. *Suſcitans de puluere egenū, & de ſtercore erigens pauperem.* Pſal. 102.

Vt collocet me cum Principibus, id eſt amantibus populi ſui.

Cum Principibus, videlicet ut comprehendere poſſim, cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum Amoris tui, quam ipſe Apoſtolus nobis toties recommendat.

Et velut è Paradiſo delitiarum quatuor flumina promanârunt ad irrigandam vniverſam terram. *Euphrates, Tigris, Nilus, Ganges.* Geneſ. 2.

Rapidiſſimi & ditiſſimi fluvij. Sic Amoris tui cæleſtis Paradiſus quatuor qualitates amoris tui in Corda noſtra velut quædam flumina rapidiſſima & ditiſſima demittit, animas inundat, & velut quodam Diluvio cœleſti replet: dicens. *Si quis ſitit, veniat ad me, & fluenta aquæ vivæ de ventre eius fluent.* Ioan. 7.

O vtinam & miſeram animam meam areſcentem præ tepiditate inebriaret, reficeret, & cæleſtibus donis imbueret.

* *Daniel.*

Ac imprimis quis mihi dabit, cum Sanctis tuis sublimitatem & altitudinem, Amoris tui super cælos elevatam agnoſceres. Elevat⁹ eſt amor à terra, quia terra ſtat immobilis. Cœli autem ſemper ſuos curſus peragentes in motu ſunt, & tamen nunquã fatigantur. Sic & amor tuus, ſemper in motu & actu, & nunquam fatigatur. Iam ergo opere pretium eſt videre ſublimem? Sed, priùs audiam verba Ioannis: dicentis. *Videte qualem charitatem dedit vobis Dominus, vt Filij Dei nominemur & ſimus.* Ioan. 1. ℣. 13.

Hem quanta ſublimitas eſſe, & nominari nos, filios Dei adoptivos. Et nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus, ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.

Annon ſublimitas amoris, quia ſic Deus dilexit mundum ut filium ſuum vnigentum daret, ut vivamus per eum, quis hanc ſublimitatem concipere, & exprimere poteſt? Per Filium ſuum voluit cum homine talem amicitiam cõtrahere ut propia foret illi, quæ eſt & Divinæ Perſonæ ſublimitas. Deus enim & homo per Incarnationem, vnum ſunt perſonâ. In quâ conjunctione, & amicitia hominis cum Deo fundatur noſtra, quam cum Deo contraximus. Nam quia Filium ſuum nobis per Incarnationem dedit, ideò cũ illo omnia nobis donavit. O charitas ſublimis quouſq; extollis hominem? ut qui eſt verus Deus, ſit & verus homo, ut in hoc

Deo

Deo & homine adoptemur ipsi in filios, atq; in amicos intimos adsciscamur.

Nec satis Amori Divino, qui est, dicam modi nescius, amoris gratia humiliare se usq; ad mortem, sed etiam assumpta humanitate abdidit se sub speciebus Panis & Vini, ut sic mirabilis Deus, etiam mirabiliter in pectus, & animam vniuscuiusq; pervaderet, nexuq; ineffabili iungeretur singulis. O Deus meus? hæccine est sublimitas amoris tui, & cur? Si sublimitas, tam oculta & demissa humilis, heu me? quis novit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit. quis eam compræhendere potest? Et cur sublimitas tua Domine etiam terrena sapere videtur, dum inter homines conversatur.

Sed maior horum Charitas, idcircò donat nobis donorum maximū & Spiritum, S & haritatem ipsam, ut postquam cætera dedit, fontem ipsum donorum effunderet: quo accepto, heu me quid dicam! quid non cogitabo! quæ meæ intentiones? desideria? & suspiria? Clamabo, miser. O S. Spiritus spira in me opus sanctum tuum semper ut cogitem? compelle ut faciam, suade ut diligam, confirma ut teneam, custodi ut non amittam, ad te ex hac lachrymarum valle dies noctesq; cum fletu & gemitu clamo, aspiro, & suspiro. *Reuela oculos meos.* Psal 118. Et considerabo mirabilia Dei mysteria.

Sed oppressus sublimitate, quis me docebit quæ sit eius latitudo? & quo consistat? nisi forte in

te in ipsa Æternitate. Deus enim nos amat ab æterno, & in æternum amaturus. ideò dicit Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te. Latitudinem eius declarat. Quia omnes nos vult salvos fieri, ideoq; solem suum oriri facit super bonos & malos licet voluntate antecedente, nō consequente. Latitudinem docet & Præceptum Primum & Maximum. *Diliges Dñum Deum tuum, ex toto Corde tuo, anima, mente & viribus.* Matt. 12.

Et quis dubitare potest non omnibus datum vniversaliter hominib⁹ cum doceat. *Ite baptizate & prædicate Euangelium omni creaturæ.* Matt. 28.

An non latitudinem indigitat dum omnes ad nuptias regales vocat, insuper & inplateas & vicos Civitatis exire vocare, & compellere iubet? Latitudo effecit amoris & pro omnibus pateretur sufficienter, licet non effectivè. Et cur sic latitudo amoris dilatata sit? *Quia & infernus dilatauit os suum.* Isaiæ 14.

Ideò etiam & Deus vult dilatare cœlos & implere ruinas eorum. Latitudo amoris dilatat Corda nostra ad diligendum, prout cecinit Propheta. *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti Cor meum.* Psal 32. & alibi *Dilata os tuum, & implebo illud* idest per amorem, Suspiria, Orationes, Vota & desideria. Deniq;, quia amor nullum Officij genus, & nullum hominem excludit. Ille enim Creaturis tribuit, ut sint amabiles. licet aliquibus plùs, aliquibus non item, vti declarat. *Iacob dilexi, Esau odio habui.*

Amo-

Amoris dilatati est semper pr ficere. dicente Apostolo. *Qui iustus est iustificetur adhuc, qui Sanctus sanctificetur adhuc: & qui sordet sordescat.* Nam qui non proficit deficit, unde benè Bernardus. *Desijsti proficere: iam perijsti.*

Quæ autem longitudo amoris? nisi Amicitia Dei erga amantem. Deus enim Creaturas si non amaret, statim interirent: Et quanto plus diligitur, plura confert, ut diligatur amplius. ut amor maneat in nobis per omnem vitam. *Longitudo est quia dilexit nos cum dilexisset in finem.* Et vult in terris esse Seraphicos viros seu satiùs Seraphinos ardentes ideo dicit. *Ignem veni mittere, & quid volo nisi ut ardeat.* Lucæ 12.

Ille enim amantibus novas ac novas indies confert gratias, ut in novitate Spiritus ambulemus. Vnde dicit. *In vijs iustitiæ ambulo in medio semitarum Iudicij ut ditem diligentes me & thesauros eorum repleam* Ioan. 12. Ideo dicit & Apostolus *Hoc oro ut magis ac magis* (quasi in infinitum potestate) *Charitas vestra abundet in scientia, & omni sensu Spirituali, ut probetis potiora, ut sitis sinceri. & sine offensa repleti fructu iustitiæ, per* IESVM *Christum Dominum nostrum.*

Et quæ est tandem profunditas? & quid indicat, Nisi descensum tuum de cœlis in terras, seu quia *Verbum Caro factũ est, Et habitavit in nobis.* Ioan: 1 *Humiliavit* enim *semetipsum Dominus formam servi accipiens, usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Corint. 1, v. 19. An non hæc est pro-

funditas? An non profunditas humilitas, paupertas, & præsepe? Propterea dum *in mundo erat, & mundus eum non cognovit, in propria venit, & sui eum non receperunt*. Ioan: 1. Hanc profunditatem & ipse intimavit dicens. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*. Matt: 6. Et quid profundius Mysterij Passionis? de quibus dicit Apostolus. *Prædicamus Christum Crucifixum, Gentibus stultitiam, Iudæis scandalum*. Corin. 1. v. 19. Profundum Passio eius, merita, valor. *Redemisti nos Domine in sangvine tuo* Apoc 1. An non profundum. Quia apprehendisti semen Abrahæ, nusquam Angelorum. Et ob hanc humilitatis profunditatem, ô quot te spreverunt, & dereliquerunt, dicentes. *Durus est ser mo iste, & quis eum capere potest. Hic panis de cœlo descendens, quicunq; manducaverit hunc panem vivet in æternum*. Ioann: 6. Ob hanc profunditatẽ amoris dixisti Petro. *Nunquid & vos abire vultis*: qui respondit. *Quo ibimus? verba vitæ æternæ* (scilicet inchoativa) *habes*. Hanc profunditatem agnoscens & Petrus ad te dixit. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum Revela oculos meos Domine & considerabo mirabilia de lege tua*. Psal. 118. & maximè de profunditate amoris tui

Quis enim hominum profunditatem mysteriorum tuorum Domine capiet? cum *abscondisti ea à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*. Matt. 10 An non profunditas? quia *Simplices & indocti rapiunt Regnum Dei*. An non profun-

profunditas? *Multi vocati & pauci Electi.* An nō profunditas? dum *Publicani & Meretrics præcedent vos in Regnum cœlorum*, dicit Dominus. idque ob arctam & veram Pœnitentiam, quæ est infelicium remedium.

An non amoris profunditas? dum tu Domine passus, crucifixus, mortuus, & sepultus: descendisti ad Inferos, & tertia die resurgens, Patres de Lymbo eduxisti. Et sæpiùs (licet *in Inferno nulla sit redemptio*) extra ordinariè educens vitæ meliori restituis, id est æternæ. ut Gregorius Trajanum Cæsarem, Petrus Gygantem, Agnes adolescentem damnatum, & mortuum in Lupanario. alij nō baptisatos Infantes ad Baptismum (de quibus Mendoza in Florilegio) revocarunt & suscitarunt. Sed cum pleriq; plerumque talia & similia negent omninò. hi me doceant, cur dictum Ezechiæ Regi. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, in profundū inferni, sive in excelsum suprà.* Isai. 4. O quàm profundus est amor tuus Devs.

An non licet mihi facere, quod volo: dicit Dominus. *An quia ego bonus, & tuus oculus nequam.* Matt. 20. Et quis terminos potentiæ Dei præfiget? apud quem nihil est impossibile. Quis thesaurum omnipotentiæ eius evacuabit? Quis profunditatem amoris Dei exhauriet? quæ tanta est, ut omnes etiam damnatos ab Inferis reducere facilè posset, modo eum amare & laudare (quod est impossibile docet de Sales) possent & vellent.

An non profunditas mysterij amoris. Dum *Homines & Iumēta salvabis Dn̄e* Psal. 35. & vir secūdùm Cor tuum Deus, se jumentū nominat. *Vt Iumentum factus sum apud te, ego autem semper tecum.*

An non profunditas Amoris Mysteria tua. Dum alij post lapsum resurgunt, & capiunt Regnum Dei. Aliorum verò teguntur peccata, & non imputatur eis peccatum. Psal. 31.

Alij verò (ô profunditas, ò altitudo judiciorum Dei) sola cogitatione peccantes, ut Lucifer, Eremita, & alij permulti pereunt: nec in æternum misericordiam consequentur. & multi parvuli.

O profunditas Amoris, & Iudiciorum Dei, non possum te capere, ergo tu me cape, absorbe. Nec ultra quicquam de tuo profundo præsumo dicere, ne descendam miser in profundum æternum. Sed solùm *de profundis clamo ad te Domine, Domine exaudi vocem meam: fiant aures tuæ intendentes in vocem Orationis meæ.* Psal. 129.

Tu Domine, qui me suscitasti de pulvere egenum, & de stercore. inter Principes, id est Mystas erexisti. Oro sim ut jumentum apud te, & semper tecum. Hocq; ob amorem, & per amorem exoro.

CAPVT XI.

Theoremata Amoris.

MEdium Vniversale salutis nostræ Amor. Amor odit inertes.

Fru-

Frustra vivit qui Deum non diligit.
Qui diligit: Legem implet.
Diligentibus Deum, non est lex imposita.
Diligere Deum. Est maximum mandatum in Lege adimplere.
Amoris Lex: Vna ad unum. Anima ad Deum.
Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonũ. Rō: 8.
Amor, plus ibi ubi amat, quàm ubi animat.
Ideò animus amantis in suo corpore moriens in alieno vivens.
Deus vult infinito amore, à nobis amari, quia ipse est infinitus.
In amore proficiendum est, quia sumus Viatores. Et qui non proficit, deficit: unde quidã. Desiisti amare, periisti.
Amor est Ensis flammeus, qui Paradisum nobis aperuit.
Qui non amat, manet in morte.
Amor est nostrum Pentecoste: & Cordis Iubileum.
Amor non patitur socium.
Amor est supremum motivum nostrarum actionum.
Dilectio summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus.
Talis quisque est, qualis eius dilectio.
Probatio Dilectionis, est Exhibitio operis.
Nunquam Paci tribuas arma: nec Amori sedem.
Amor est Director animæ nostræ.
Perfectio nostra est Dei dilectio: in qua qui ferventior, is perfectior:

Amor

Amor non inveniens nos neque æquales, neq; unitos: æquat, & unit.
Amor Cor vulnerat, excruciat, & ad se trahit.
Cor amantis nec solitudine, nec unitate contrahitur, nec multitudine in multa distrahitur.
Sine Amore salus desperanda. Lex Amoris in adiutorium data.
Amor est qui ducit intellectum ad Contemplationem, Voluntatem ad Vnionem. Divinus Amor, satietatis legum nescius est.
Amor defectu suo plus proficit, ut Luna in plenilunio plùs lucet.
Non est verus Amor in illo: cuius est oratio Angelica, devota: vitâ verò brutalis.
Amor est primum principium, & primus actus vitæ Spiritualis.
Cor quod non habet motum & affectum, non habet Amorem.
Vitam non potest vivere novam & Amoris, nisi prius sepelierit veterem, carnalem.
Amor fortis ut Mors. Cant. 6. In amore semper vives.
Amans etiam dormiens habet habitum amoris.
Amans debet amare sine modo.
Amor ad inconcessa tendit. Cõtra spem sperat.
Amor cõmoratur in excelsissima ac subtilissima Animæ regione, in qua Sacrificia & holocausta offert, sicut tu Domine in supercilio montis Calvariæ immolasti reipsum.
Amor Dei res delicata: nos instar Vestalium custodiamus eam,

Deum

Deum diligere eſt Philoſophari. Et ille eſt Philoſophus. Qui Deum diligit. *Plato.*

Amor eſt Pharus noſtra, nos illuſtrans.

Adoptio filiorum Dei, ſola charitate acquiritur.

Quantum quiſque amat: tantum ad ingreſſum regni appropinquat.

Amor hominem in terris miraculum facit.

Amor Dei duplex: alter æternus, ſeu quo nos ante tempora ſæcularia dilexit. Ideò eius cogitationes fideles, antiquæ dicuntur. Iſai. 25.

Alter quando venit plenitudo temporis, Incarnatio Christi.

Sed mihi hæc legenti neſcio, quid ſit Amor, quantis Labyrinthis plenus? Toties ſiquidem perfectionis noſtræ ſcopus eſt, ubi anima cum univerſis viribus ſuis, in unicũ illud, quod Deus eſt, recepta fuerit. Si quis etenim Deum diligit, illius mens non erit in terra, ſed ſemper ſuperiora petet, deſiderabit, quæ amavit. De cœlis etenim jam illuminatur, & inebriatur, tanquam de dulciſſimo fonte.

Proinde non miror quod Sponſa tua amore plena dicat tibi. *Oſculetur me oſculo Oris ſui.* Cantic. 1. Id eſt tanta ſuſpiria, tamq; inflammata dilectionis tela, quæ amor meus inceſſanter emittit, ac jacit; nunquâne impetrabunt id, quod tantopere deſiderat anima mea? *Curro heu, nunquamne pertingam ad bravium, ad quod me totam quam extendo.* Corint 4. Illud autem eſt, ut Cor meũ Cordi, Spiritus ſancti, Dei mei, & vitæ meæ glutine

tine indiſſolubili vniâsur. Ecquando tandem effundam animam meam in Cor eius, ut ipſe viciſſim effundet Cor ſuū, in animā meam, ut ſic beatiſſimè arctiſſi eque inter nos uniti, in omnem æternitatem inſeparabiliter vivamus.

Et cùm tantum bonū ſit Amor tuus Deus meus, & vita mea, amare te debeo, & ſi ſemper: maximè tamen cùm *Adverſarius tanquam Leo rugiens quærit animam*, 1 Petri 5. & intendit devorare; Tunc enim amorem meum tibi teſtari debeo. Et omnia peccata mea uti compedes Dæmonis abominari: ne te Deum meum perdam, Gratiâ excidam, Cælum amittam.

Amare te etiam teneor cum hominibus locuturus, quod exopto, & promitto: è domo diſceſſurus, ne telis & vulneribus mundi, maximè Cupidinis oppreſſus, & irretitus domum redeā. Hæc eſt enim Charitas, ut mandata tua cuſtodiamus.

Amare te quoque exopto, & deſidero, id eſt Amoris tui imploro auxilium. Cùm fatalem caſum, aut horam ſupremam aduenire præſenſero. Tuum enim Amoris mandatum, (& ſi ſemper) maximè in ſuprema vitæ hora meditandum, & corde tenus amplectendum: Tibi enim ô Amor meus, uti ſummo Bono, (etſi ſemper) omnibus modis debentur Actus amoris, ſed tunc vel maximè Lex Amoris tui nos vrget: ut eos integerrimè obſervemus: & hac flamma accenſi, de temporali, ad æternam tranſeamus, te in æternum cū Seraphim amaturi.

CAP.

Caput XII.

Amans Crucem Christi amplectitur.

Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus, & ego mundo. Galat. 6. Ideò omnis homo patiens, dicitur Dei. *Afflictio* huic mundo despectui est, sed apud Deum immensam dignitatem obtinet. *Afflictio* iram Dei extingvit, gratiam conciliat, & amicitiam: hominem gratum & amabilem efficit, uti Deo similem. *Afflictio* bonum est occultum, quod nemo pensare queat, etiamsi quis centum annis genibus flexis crucem amicabilē precetur: nec sic eam emereri potest. *Afflictio* ex homine terrestri cœlestem efficit. *Afflictio* hunc mundum hominem alienū reddit: sed Dei perpetuam adducit familiaritatem, amicos quidem minuit, sed auget gratiam. Omninò expeditus, & derelictus sit oportet à mundo universo, qui Dei vult amicitia & familiaritate perfrui. *Afflictio* tutissimum ac compendiosissimū iter est. Crede mihi, si quis probè cognitum haberet, quanta sit Crucis utilitas, & opportunitas: haud dubiè ceu donum præstantissimū de Dei manibus eam susciperet. O quàm multi jam erant æternæ perditioni addicti, & somnum dormierant sempiternum, quos tamen afflictio restauravit & excitavit ad meliorem vitam.

O quan-

O quãtos cõtinuæ Cruces, velut feras & indomitas aviculas, in caveis retinent & conservant, qui tamen, si eis daretur loci & temporis opportunitas, in suæ salutis sempiternam perniciẽ cõfestim aufugerẽt. *Afflictio* à graui seruat ruina, præstat homini, ut sese cognoscat, intra se ipsum se contineat, sibiq; constet, ac proximis fidem accomodet. Conservat animam suam in humilitate, docetque sapientiam, tuetur castimoniam, æterne beatitudinis adfert coronam, vix quempiam comperire possis, qui non aliquid consequatur comodi ex afflictione, sive etiamnum culpis vivat obnoxius, sive iam vitæ emendationem inchoarit, sive in proficientium, sive denique perfectorum numero sit. Ignis namq; purgat ferrum, mundat aurum & prætiosa ornat monilia. *Afflictio* peccati aufert Sarcinam, minuit pœnas purgatorij, pellit tentationes, profligat vitia, Spiritum renouat veram confert fiduciam, mundam Conscientiam, atq; animum stabilem & excelsum. *Afflictio* salutaris est potio, & herba salutifera præ cunctis Paradisi herbis. Castigat corpus, brevi tamen in putredinem abiturum, & animam reficit longè nobiliorem semperq; victuram, sicut rosarum eximij flores, suavi vernantis Mag: rore tinguntur, ita animam afflictio vegetat & fœcundat. Ipsa, animum sapientiâ imbuit, redditq; hominem exercitatum. Qui non est afflictiones tentationis expertus, quid quæso ille novit? *Afflictio* est

ctio est virga amoris plena, & paterna castigatio electorum Dei. *Afflictio* hominem velit, nolit, trahit ad Deum. Quisquis in adversis se hilariter gerit, illi & iucunda & tristia, hostes & amici inserviunt proficiuntque. O quoties hostes homo impugnantes se profligat ac pœnitus eneruat, cum Deum alacri & hilari animo laudat. leniterq; ac benignè adversa perfert.

Mavult Deus afflictiones creare ex nihilo, quam amicos suos Crucis expertes relinquere. Perpessione enim virtutes omnes confirmantur, homo decoratur, proximus provocatur ad meliora: Deus laudatur. Patientia est in adversis hostia viva, & odor suavissimus, præcellentis balsami in conspectu Divinæ Majestatis, totāq; cœlestis Exercitus frequentiam ingenti admiratione afficit. Neque verò unquam quisquam quantumvis strenuus pugil vel eques publicitus cum alio congressus, adeò in se hominum ora animosq; convertit, uti totus beatorū cœtus hominem afflictiones ritè perferentem adspectat. Sancti omnes hominis afflicti velut quidam prægustatores sunt, utpotè afflictiones satis superque experti: unoque orè omnes affirmant, nihil esse in afflictione toxici, sed potionem eam esse saluberrimam. In adversis retinere patientiam præstabilius est, quàm extinctos ad vitam revocare, aut alia perpetrare miracula. *Afflictio* est Scala Iacob, quæ ad ipsas vsque cœli portas for-

 titer

titer pertingit. Ipſa hominem ad martyrum ēr vehit contubernium. Ipſa laudem palmamque refert, ex cunctis hoſtibus. Ipſa animam roſeo purpureoq; veſtit veſtimento. Ipſa coronas vel ſerta nectit roſacea, & ſceptra conficit ex palmis virentibus. Ipſa velut gemma precioſiſſima eſt, in monili ad virginis pectus appenſo. Ipſa in æterna vitá canticum novum præcinit, dulcibus modulis, ac liberrimis animis. quod nec omnes poſſint depromere Angelici Spiritus, eò quod nullam unquam crucem experti ſiint. Atque vt paucis expediam homines afflictos mundus iſte miſeros appellat, ſed Deus habet uti felices, & ut electos amplectitur.

Non ſine cauſa quidam, dum ſine Cruce & afflictione aliquod tēpus viveret, interrogatus ab amico? reſpondit ſe malè habere: Iam enim, inquit, ſunt elapſæ quatuor ſeptimanæ, ex quo oblitus eſt mei Deus, nam nullam crucem nec doloris in corpore, neque inimicorum opprobria, & detractiones patior.

O hominem perfectum, qui ſic afflictionem habere, & perferre exoptavit. Sed nec mirari debemus: Afflicti enim in ea Deum eſſe cernunt, Deum inveniut, Dei voluntate fruuntur, & ſuam prorſus neſciunt voluntatem. Ejuſmodi homines, in ipſo cælo degunt, nam à Deo omnia accipiunt, unde etiam adverſa eis in bonū cooperātur, maximè ſi Deum amēt & à Deo omnia mala ſeu adverſa cum Iob ſuſcipiant.

CAP-

CAPVT XIII.

Amor inuocatione Beatæ Virginis MARIAE conseruatur.

SI Elephantes belluæ oriente Luna exeunt à sylvis, & lavant se aqua lustrali iu Mauritaniæ saltibus, quod utrum sit lavacrum Religionis, an voluptatis, pietas tamen est, Luna etenim salutata & adorata redeũt in sylvas. Ast quomodo adoranda es ô *Mater pulchræ dilectionis* Cantic: 5. & Domina mea, quæ *pulchra* es ut *Luna, electa* ut *Sol* S. Maria: quæ fulges donis & gratijs toti mundo, in Iacob inhabitas, & in Israël hæreditaris, id est electos & dilectos illuminas gratiã, quã præ cæteris es plena, nam gratiãm Identitatis Dei consecuta es; Complementum Trinitatis. Virgo gratiosa, splendidum ac animatũ cœlum. *Mulier amicta Sole.* Apoc. 12 quia quẽ capere non poterant cœli tuo gremio contulisti. Idcircò quicquid gratiæ, toti mundo daturus erat Deus, qui non erat dispositus, deposuerat in te ô Domina mea, & per te contulit nobis, & nihil sine te. O si Apostolis unâ inspiratione dedit Spiritum S. & non alias. O quantum dedit tibi, per novem Menses in te respirando, & inspirando, gratiæ, quam jam plenam Spiritus S. invenerat, dispositam. O Mater gratiæ, Mater pulchræ dilectionis, illuminatrix mundi, Stella

maris, in qua sola post tumultus huius maris totius mundi, ubi reclinaret Magister meus, requiem invenit.

Quæ nec nominari potes quin accendas, nec cogitari, quin illumines affectus diligentium te, Tu nunquã sine dulcedine tibi insita pias mentes ingrederis. Illumina splendore gratiæ animam & mentem meam, effunde fontem Maternæ charitatis, adauge & conserva in me amorẽ Domini mei & Filij. Invocantem miserum adjuva, ne unquam extinguatur iste ignis Divinus amoris ejus: sicut ille Hierosolymitanus, quem nec venti, nec pluviæ, nec nives, nec ullæ procellæ extingvere poterant: sed sic in corde & anima mea luceat, ut sit totum corpus meum lucidum. O Mater salutis, ô templum pietatis, & misericordiæ, tibi se conatur præsentare misera anima mea, morbis peccatorum langvida, & ulceribus flagitiorum putrida, tibi inquam nititur, quantum moribunda valet supplicare, ut potentibus tuis meritis, ac pijs precibus digneris eam, ne pereat salvare. O tu benedicta inter mulieres, quæ Angelos vincis puritate, ac Sanctos superas pietate, anhelat moribundus Spiritus ad tantæ benignitatis respectum, sed erubescit ad tanti fulgoris conspectum. Eadem peccata mea ô Domina cognosci à te cupiunt, per curationẽ, apparere fugiunt propter execrationem. O Mater pietatis, ô Virgo sincera, non alia mihi fiducia amoris veri impetrandi Domini mei præ-

ter te,

ter te, ac per te. Tu portus meus, ô Virgo & Mater? ſub tua protectione ac tutella totus ſum, tuis pedibus advolvor, crebris lachrymis obortis te imploro celeberrima Mater, ſuppliciter clamans. Interveni pro me jugiter ad Filium tuum, & Dominum meum, cuius amore exardeſco, & quem impensè diligit anima mea.

Et placa Deum pro communi figmento, te enim cùm in terris verſabaris, parva habuit portio terræ, nunc autem cùm è terris in cælos elevata es, univerſus mundus continet, commune propitiatorium. Patronam te præmiſit peregrinatio noſtra, ut Mater Iudicis, & Mater miſericordiæ ſuppliciter & efficaciter cauſas ſalutis noſtræ pertractares.

Sancta Maria ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles. Sentiant omnes tuum juvamen: quia tu es imago bonitatis Dei: id eſt ſine omni macula. Deus enim decrevit, nihil nobis dare, niſi per te Matrem pietatis.

CAPVT XIV.

Amor eſt illicium Cordis noſtri.

COgitanti mihi ô vita Cordis mei Deus meus. Cur plures te ſummum bonum timeant, & non ament, & timeant timore ſervili, non filiali. Num exterriti caſu Luciferi, qui fuit Initium viarum tuarum. Et omnis lapis pretioſus

Ornamentum eius: & tamen in barathrum Inferni cum suis Asseclis detrusus est de summo cœlorum.

Num Protoparentum nostrorum Expulsione de Paradiso & in pulverem resolutione? Et totius vitæ miseriâ; æterna damnatione? Num quia de cœlo Igne Sulphureo (Sodomas) demisso exturbasti?

Quid dicam? an non horret totus mundus Cataclysmi aquis, quibus omne genus viventium deletum est? Solam memoriam

Quomodo tacere possum? Templum Hierosolymitanum totius Orbis ornamentum, extinctum cum suis Sacrificijs & Sacerdotibus?

Quæ omnia sunt, quasi quædam Simulachra Iudiciorum tuorum, quæ sunt abyssus multa.

An non attoniti stamus, dum intonas supernos Iudicia tua & trementes? Dum edocti sumus. Horrendum esse incidere in manus Domini? Terribilis es enim, in Iudicijs super filios hominum.

Homo autem *est Vniversa vanitas*: Psalm: 38. In Imagine pertransit, & frustra conturbatur. Dies eius sicut vmbra prætereunt.

Et quod horrendum est dictu, omnes nos natura conclusit sub peccato? Omnes nascimur filij iræ? Omnes nos iam devoravit adversarius hostis Diabolus tanquam Leo rugiens: O miseram conditionem hominis. Super omnes extendit retia sua, ad illaqueandum nos,

Sed

Sed tu ô Pater misericordiarum. Qui dum iratus fueris, misericordiarum reco daris. Nō vis mortem peccàtoris.

Tu misisti Spiritum tuum Sanctum. Qui in Creatione mundi super aquas ferebatur. Vt dicit Apostolus.

Ad invidiam provocat Spiritus, Iacob 4. 5. Maiorem autem dat gratiam. Et quæ est tam sancta invidia? & Gratia? Invidet Spiritus: quod plures suscipiat Infernus, quàm cœlum? plures pereant, quàm salventur? plures rapiat Dæmon, quàm Creator Deus. Infernus, quàm Gloria cœlestis.

Multi enim sunt *vocati, pauci Electi?* O miseriam nostram! Et quisq; nostrum suum laqueū secum portat, id est fomitem peccati.

Idem Spiritus pro nobis orat gemitibus inenarrabilibus. Id est facit nos gemere, suspirare; dolere pro peccatis, Pœnitentiam agere, misericordiam implorare, deniq; & tua Amoris, ac Dilectionis Præcepta adimplere.

Idcirco & tu Clementissime Pater, post tot terrores, allexisti Abraham dum comitabaris in via, inter exteros servasti, eripuisti iniurijs, hospitalitati blandiebaris; promissis oppignorasti ut tanquam Divinæ illectus dulcedine Charitatis, te Deum diligere disceret, non timere, amando colore, non pavendo.

Iacob fugientem solabaris in somnis, redeuntem pro certamine provocasti, luctatoris cō-

ſtrinxiſti complexu, ut amaret Patrem certaminis: non timeret. Idcirco ei benedixiſti.

Moyſen paterna alloquebaris Charitate. Deum Pharaonis feciſti, ſignis muniviſti, armaſti virtutibus; ad amicitiam ſuam promoviſti, Totum tamen ut amaret? Deniq; ut in tantum Dei amore eſſet ſuccenſus, ut ipſe ardenter diligeret, & alios ut diligerent, hortaretur.

Inſuper (Exod. 20) Mandatum Dilectionis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde, animâ, mente &c.* dediſti. Quare dediſti? niſi ut te audacter, & ſine modo: diligerent. Quid eſt ex toto Corde: Niſi: ut Quicquid eſt cordis, quicquid mentis, virtutis humanæ, ita voluiſti poſſidere, ut hominis mundani nil haberet, quod violaret affectus ſed dum flamma Divenæ Charitatis accendit Cor meum humanis ſenſibus, tota ſe fudit Ebrietas, & ſaucia mente incipit Deum carnalibus velle oculis, intueri homo.

Heu me? quid erit? quid debeat? quid poſſit, non reſpicit ius Amoris? Amor ignorat iudicium? ratione caret, modum neſcit. Amor non recipit de impoſſibilitate ſolatium, non recipit de difficultate remedium. Heu me quid ſit Amor? quam delicatus Tyrannus, qui niſi ad deſiderata pervaſerit, necat amantem, ideo vadit quo ducitur? non quod debeat.

Propterea qui amat, oculis mentis te DEUS videt; & omnes Electi nihili duxerunt omnia merita, niſi te Deum viderent. Dicentes?

Quo-

Quomodo reddet pro obſequio beneficium? Si beneficiorum largitorem non videamus?

Quomodo ſe quis credat amari? cuius non meretur aſpectum?

Amor ſemper cupit videre amantem, etſi non habeat iudicium, habet tamen ſtudium pietatis. & continuum deſiderium.

Eodem Amore accenſus Moyſes auſus eſt petere. *Si inveni gratiam coràm te: Oſtende mihi faciem tuam Domine.* Exod. 33

Amore viſendi omnes cruciamur, laſſamurq; mortales & Nos.

Aſt quoniam Amor, Amorem accendit & provocat Amantis.

Amor hic humanus, & te Patrem Creatorem provocavit. Quia Elegiſti aſſummere noſtram humanam, non Angeli naturam; quam nihilominùs inviſibilis haberetur, ſi de terra nihil haberet. Et Divinitatis eſſet iniuria, deieciſſetq; hominem non levaſſet.

Tu igitur ô vita mea, qui ad hominem veniſti; Aſſumpſiſti Carnem ex nobis, ut videretur à nobis.

Aſſumme Cor meum & Animam meam, ut vel per extaſim, aut Raptum te videre, & amare merear: quia in toto Corde meo exquiſivi te.

Eheu quando Cordi meo inſtillabitur Amor tuus, vel ſaltem vnica, gutta muſti excellentis Spiritus S. gratiæ quando in memetipſo qualis eſt hæc Ebrietas Amoris experiar? Quando my-

sticum Pentecoste & verum Iubileum Amoris celebrabo ? ita quod omnia mea debita dimittantur, libertas restituatur, servitus peccatorũ excutiatur, hæreditas cœlestis restituatur, quo tandem ad veram patriam perveniam. & in ea gaudijs nunquam in omne ævum finem habituris perfruar.

O lux perpetua cuncta creata transcendens lumina fulgura corruscationem Amoris de sublimi, penetrantem omnia Cordis mei intima, purifica, lætifica, clarifica, viuifica Spiritum meum, cum suis potentijs, ad inhærendum tibi iubilosis excessibus amoris.

O quando veniet hæc desiderabilis & beata hora, ut tua me saties præsentia, & sis mihi omnia in omnibus. Est enim in me quandoq; parvus & imperfectus amor, cuius evicalationes natura in se sentit, qui non est aliud, quam quoddam velle, sine velle; vellet aliquod quod vellet, sed nõ vult; velle infæcundũ, & sterile, quod veros non producit effectus: velle Evangelici Paralityci, qui quidem videt salutarem piscinam, sed ei desunt vires immittẽdi se in eam. Et hoc velle abortus bonæ volũtatis, id est, quod non præfert Deum omnibus rebus. De hoc & Apostolus in persona miseri peccatoris dicit. Velle adiacet mihi, perficere autem non invenio.

Maximè, cũ nil dulciùs Amore, nil fortiùs, nil altiùs, nil latiùs, nil iucundiùs, nil pleniùs, nil meliùs in cœlo & in terra, quia Amor ex te Deo natus

natus eſt, nec poteſt niſi in te Deo, ſuper omnia creata quieſcere.

Nec mirum quia amans volat, currit, lætatur, liber eſt nec tenetur, Dat omnia pro omnibus, & habet omnia in omnibus.

Sæpè modum neſcit, ſed ſuper omnem modum ferveſcit, Onus non ſentit, plus affectat quàm valet, de impoſſibilitate non cauſatur, quia cuncta ſibi poſſibilia & licita eſſe arbitratur.

Magnus clamor Amor in auribus Dei eſt, ipſe ardens affectus animæ, ut dicit quidam, Nõ qui clamat, ſed qui amat, ſonat in aure Dei.

O Domine pone te, ſicut ſignaculum ſuper brachium meum. *Cant. 8.*

O quam ſunt enim amabiles divitiæ tuæ, & quam Amores tui opulenti. Iam ſine timore ſervili, imo amore accenſus te amplector. O Vita mea? O quis lætior eſt, tune qui frueris eis, an ego qui inde lætitiam ingentem haurio; ambo, ambo. Ego, quia dilectus meus ijs fruitur; tu vero quia dilecta tua inde lætatur miſera anima mea. Nam

Sicut gutta cadens in mare diceret: O mortales, vivo equidem ſed non vivo ipſamet, at vivit in me hic Oceanus, & vita mea abſorpta eſt in hoc abyſſo. Ita anima mea amore perfuſa ex amore Dei, uti abyſſo Amoris. Semper vociferans. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.* Cant. 2.

CAPVT XV.

Orationes Iaculatoriæ.

O Domine DEVS. Delitiosum principium meum.

O amabilis abysse. O serena lux interiorum meorum.

O simplicissimum & iucundissimum, verum, & incommutabile bonum meum.

O Deus meus, tu mihi omnia. Tu es complementum meum.

O quando, quando te feliciter inveniam.

Quando te amabo ardentissimè. Quando tibi uniar tenacissimè.

Quando, quando totus rapiar in te, & à te.

Quando ero absorptus à te totus. Quando tibi vniar.

Ob amorem tuum misericordissime, remove à me omnia impedimenta, ut sim tecum unus Spiritus, ad laudem & ob gloriam nominis tui.

O sanctissima & beatissima TRINITAS pasce animam meam tuis cœlestibus influxibus gratiarum.

O Sanctissima Dei Mater, stella splendida, intercede pro me misero ad Deum Creatorem.

O vos Sancti & Sanctæ Dei, & vos beatissimi Spiritus Angelici. Qui semper estis inebriati de Torrente Divinæ voluntatis. Orate pro me.

O IE-

O Iesv amantissime per tuam Mortem Crucem, Passionem miserere mihi misero.

O bone Iesv, spes mea, refugium meum, salus mea miserere mei.

O Deus miserere mihi abominabili & indigno quem terra sustentat peccatori.

O Domine sit semper Sancta voluntas tua in me, omnes me affligant, conculcent.

Da mihi Dñe remissionē omnium peccatorum meorum. Lava me pretioso sangvine tuo.

Da mihi suiipsius abnegationem & mortificationem. Omnes passiones & Affectus meos vitiosos expunge.

Moriatur mea suijpsius voluntas, ut meipsum inveniam.

Da mihi veram humilitatem, patientiam, charitatem, spiritus paupertatem, & continentiam lingvæ ac sensuum.

Ecce dilectissime Osculor tuas plagas, omnem suavitatem spirantes, adoro & saluto.

Saluto nobilissimum Cor tuum, pro amore meo lancea militis transfixum.

O vtinam hæc vulnera Cordi meo medullitus infigantur, ut tibi ex toto corde meo compatiar, & totis præcordijs & affectu meo.

O dilectissime, dilectissime, dilectissime, O charissime supra omnes res haras.

O Amor meus. O sponse mi floride, sponse sponse melliflue. O dulcedo Cordis mei, & Vita Animæ meæ. Inebria me, accende, in-

flamma,

flamma, & transforma me ut nil in me vivat præter te solum. Vulnera Cor meum dulcissima sagitta Amoris tui.

O me miserum quam sum elogatus à te, qui es summum bonum meum.

Et vivo in media quasi Sodoma, inter vanitates mundi naufragus.

O me miserũ, quàm sum cœcus, penè nihil sum, possum; quotidie pereo

O utinam tibi placeam, & mundatus existam à peccatis meis.

O quando perfectè mihi moriar, ut jam sim liber ab omnibus carnis concupiscentijs; & affectibus, habitibus, phantasmatibus.

O utinam per mei abnegationem ad tuum amorem perveniam. O jube me amare, te Dominum, & adjuva me.

Da mihi gratiam, ut te ex toto Corde amem, tota mente, & totis viribus meis.

Renova Spiritum meum, & confirma me in amore tuo, ac Spiritum meum inebria dulcedine cœlesti.

Abstrahe me ab amore harum rerum caducarum. Spolia animam omnibus phantasmatibus & imaginibus vanis.

Da ut convertar ad te; & sim stabilis in proposito amoris, & te clarà cognitione, & fervida videam, ut totus in te transformer.

O Deus meus, ô Spes mea, & refugium meum. O Dilectissime supra omnia, ô Amor meus unice,

unice, ô Sponse! floride, Sponse melliflue, o dulcedo Cordis mei, & vita animæ meæ.

O Essentia mea, de essentia mea, ò jucundissima requies Spiritus mei. O desiderata Consolatio mea. O gaudium meum sincerum.

O jucundissima dies æternitatis, ô serenissima lux interiorum meorum. O splendidum conclave meum, ô jucundissime Paradise meus.

O amabile principium meum, ô summa sufficientia mea. O Deus meus & quid volo extra te.

Tu es meum verum & æternum bonum. Converte me ad te, ut alacriter, puro corde, & perseveranti curram post te, in odorem ungventorum tuorum.

Præpara tibi in me gratam & amœnam habitationem, ut ad me venias, & in me habites.

Mortifica in me totum id, quicquid tibi displicet.

Fac me unum hominem conformem sanctæ voluntati tuæ.

Conforma me tuæ sanctæ humanitati. Inebria me seu Spiritum meum, musto amoris tui, & perfectæ charitatis.

Vnito Spiritum meum tibi, transforma me in te, ita ut tu in Corde meo, sis deliciæ, & summũ bonum meum.

Heu me! quando tibi placebo? per omnia & in omnibus.

Quando à me fugiet omnis proprietas, carnis & mundi vanitas.

Quando totus tuus ero? Quando nihil in me

vivet

vivet præter tuam gratissimam voluntatem
Quando te ardentissimè amabo? Quando me accendes flammâ vivi incendij tui amoris.
Quando me liquefacies totum, penetrans efficaci suavitate?
Quādo mihi pulsanti aperies, & manifestabis tuum regnum sanctissimum, & omnes thesauros infinitos gloriæ tuæ ut Magdalenæ?
Quando me raptum sentiam, absorptum, & in te absconditum.
Quando me rapies seu Spiritum meum, & inseparabiliter unies?
O unicum bonum & desiderium Cordis mei quando hæc facies? quantociùs mihi, te quæro, desidero, & amore tui langveo.

CAPVT XVI.

Exempla Amoris.

CVm longa sit via per præcepta, & brevis per exempla, in omni morali scientia, maximè Amoris Divini, ideò quædam, ex varijs authoribus allegenda duxi. Validiora sunt exempla quàm verba. Nam & de Christo Domino dicitur: *Cœpit Iesus facere & docere.* Matt: 19.

I.

QVidam devotus lecto libro Sapientiæ. Capite 7. & 8. Quod Sapientia sit speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum luce

luci comparata invenitur dixit: Hanc amavi & exquisivi à Iuventute mea, & quæsivi, mihi in Sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius Habeo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud Seniores. Habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt relinquam Intrans in domum meam, conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conversatio illius, neque tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium. Dominus sapientiâ fundavit terram, stabilivit cælos prudentiâ. Qui eam adeptus est, ambulabit fiducialiter in via sua, & pes eius non impinget. Si dormierit non timebit, quiescet, & suavis erit somnus eius. Iamq; certò statuerat sponsæ loco assumere eam, ejusque amori & servitio se mancipare. Quæ & qualis est, quæ tam mira de se prædicat. tot ac tanta pollicetur.

Estne Deus, an homo, vir, an fæmina, scientia, vel astutia, aut quid tandem est? Dum his flagraret desiderijs? Ecce ea tali schemate visendum se ei præbuit.

Longè supra ipsum ferebatur in columna nubis, residens in throno eburneo, micans instar Luciferi, & tanquam Sol lucens in virtute sua: Corona eius æternitas, amictus felicitas, sermo suavitas, complexus omnis boni, satietas. Propè erat, & longè aberat, sublimis, & humilis, præsens & occulta, familiarem se præbebat; nec tamen apprehendi poterat. Excelsis cœli fastigijs erat al-

tior, & abysso profundior, attingebat à fine usque ad finem fortiter, & disponebat omnia suaviter. Dum elegantis puellæ specie teneri videbatur: mox pulcherrimi iuvenis, præ se ferebat imaginem. Nonnunquam ceu artium omniū peritissimam se præbebat amicam. cunctis amabile. Itaque dulcissimè se ad eum convertens, & comiter, non tamen sine quadam Divina maiestate illi arridens, benignè, his eum verbis affata est. *Prabe fili Cor tuum mihi.* Tum verò vestigijs eius advolutus medullitùs, ac humillimè gratias illi egit, &c. quæ statim disparuit.

II.

SCribit Taulerus quendam virum devotum, & Doctorem, petijsse à Deo propè triginta annos, ut sibi viam salutis demonstrare dignaretur. Tandem alijs omnibus ex Ecclesia abeuntibus, solus dum Doctor orationi devotus vacaret. Audita est vox desuper. *Surge, & quem in porticu Ecclesiæ videris, ipse te docebit viam salutis.* Egressus hilaris, neminem vidit, nisi quendam pauperem pannosum, squalidum præ inedia, & vix hominis formam referentem, tum ait illi: Bone vir, det tibi Deus bonam diem. Cui pauper respondit. Ego nunquam malam diem, neque horam novi. Tum Doctor. Ergo fælicem diem apprecor tibi. Cui pauper. Ego nescio quid sit infelicitas, semper enim Deo volēte, fælices dies & horasconsvevi ducere. Tum admiratus Doctor, det tibi Dominus gratiā suam, Cui pauper. Maximas ego gra-

go gratias, pro huiuſcemodi apprecatione: hanc etenim exopto, quæro, deſidero, ſuſpiro. Tum Doctor, bone vir, quis es tu? Tum pauper. Ego ſum Rex Doctor ſubjunxit. Et qualis oro Rex es tu? Tum pauper: Rex ſum, meorũ affectuũ, ſenſuum, & concupiſcentiarum: ſive enim inediam, & frigus patior, ſive tempeſtates, & adverſitates; ſemper hilari vultu & animo à Dei manu ſuſcipio hæc omnia. Tum admiratus hominis miſeriam Doctor ſubjunxit. Bone vir, quid faceres, ſi te Deus ad Inferos ablegaret Cui pauper. Sunt mihi duæ manus. Altera Amor Dei: & altera Humilitas: quibus amplecterer Deum. & ita ſtringerem, ut & Deus illuc mecum deſcenderet. Et multò melius mihi eſſet, cum Deo in Inferno: quàm ſine Deo, in Cœlo. Hinc edoctus Doctor, cognovit Amorem Dei, & humilitatem eſſe viam ſalutis noſtræ.

III.

SAnctus Amandus quodam die per viſum ſpiritualiter vidit Cor paternum, ſine ullo medio, modo quodam ferè ineffabili ad ipſius Cor ſuaviter applicari, idemq; Cor paternum, id eſt, æternam Sapientiam intrinſecus ſine formis ipſius Cordi loqui. Tum ille ſpirituali illo perfuſus gaudio, ſeu jubilo, hilariter dixit. Eja dilecte, unice atque amantiſſime, nudato Corde, & ſimplici, omnium rerum creatarum nuditate complector formæ neſciam Divinitatem tuam. O Deus meus veri Amoris infinita jucunditas, in Cor-

in Corda te amantium liquidus influis, atq; in animæ Essentiam, nudum ac totum omninò te infundis, ita ut nihil tui foris remaneat, sed amantissimè cum dilecto conjungaris, ac uniaris. O Deus Amor meus.

IV.

SAncti Philippi Nerij Amorem, cuius ingenium exprimere potest? Qui totas noctes præ Amoris intensione duxit in somnes sub dio: alter Seraphim, totus flammeus, totus ignitus, ut de ipso meritò dici possit. In Corde ejus ignea Lex. Cuius violentia ipsæ Lateris Costæ ruptœ & dilatatæ. Amor enim intensus Dei, pectus, supra humanam naturam oppresserat, & urgebat. Verè dicendus esset meritò Seraphim, nisi in carne viveret adhuc mortali.

EX VITIS PATRVM.

I. *Abbas Arsenius.* Interrogavit Angelum, quid faceret ut salvus fieret. Dictumq; est illi: *Fuge, Tace, Quiesce.* Ex Vitis Patrum. Similiter in visu Angelus cuidam dixit, Fons & origo bonorum omnium est, iugiter secum commorari.

II. *Antonius.* Corporis castigatio, Cordis devotio, & secessus ab hominibus, efficiunt, ac tuentur castitatem.

III. *Isidorus Abbas.* Homo iracundus displicet Deo, quantum libet magna signa efficiat.

IV.

IV. *Ipericus.* Misùs peccat, qui tempore verito carnes edit, quam qui proximo detrahit.

V. *Zacharias.* Magnoperè illum contemni necesse est, qui velit esse perfectus.

VI. *Nestor.* Asinus ante fias oportet, quam Divinam obtineas sapientiam.

VII. *Senex quidam.* Mortuorum instar, in adversis, & prosperis semper immotus permaneas.

VIII *Pastor* Nequaquam ille bonus censendus est, Qui adhuc conqueritur, nec iram cõpescere, multiloquium fugere, contemptum ferre nequit.

IX *Cassianus.* Vt Christus sese gessit in Cruce moriens, ita nostros debemus mores componere.

X. *Antonius.* Cuidam negligenti Age frater salutis tuæ curã geras. Nam certè neq; Deus, neq; ego vnquam tibi consulere poterim*.

XI. *Senex quidam.* Multa pulchra verba, absq; rectè factis: inania sunt, perinde ut arbores at undantes folijs: fructu vacuæ.

XII. *Sancta Syntеclica* Dum ægrotas gaude, namque Deus tui meminit. Nec morbi causam iejunijs assignes, siquidem & qui non iejunant ægrè habent: Si Corporis vexaris tentationibus, itidem gaude; quod alter ex te Paulus, possit effici

XIII. *Senex quidam.* Si nihil potes aliud in Cella tua agere operis, vel parietes illius, Dei amore custodias.

XIV. *Nestorius.* Nunquam me Sol manducantem vidit.

XV. *Ioannes.* Nunquam me Sol irascentē vidit.

CAPVT XVII.

Quis sit vir bonus, & perfectus, & quomodo cognoscatur?

1. VT in Conversatione sit honestus, ac benè moratus, ita ut bona omnia ab ipso, sine ipso, proficiscantur.

2. Vt sensibus modestus & quietus sit, nec vltrò citroq; rumusculos hominum dicta circumferat (namq; id multas parit imagines) atq; ita sensus interni quodam otio & libertate perfruentur.

3. Vt nulli rei amore adhærescat, certus videlicet, vana esse, & nihili omnia.

4. Ne contendat, aut pugnet verbis, sed amicè se gerat, erga omnes eos, per quos Deus eum excitare, expedire, & extra seipsum, suamq; proprietatem eijcere : molitur.

5. Pastoris necesse est obseruet doctrinam. Numero 8. supra.

Amans vitæ miseriam considerat.

EHeu quid est homo in hac vita, nisi Exul, & Viator. si quæras quo pergit tam properè? *Respondeo.* Ex vtero Matris suæ, vadit ad sepulchrum miser.

Vita humana mera miseria, *totus enim mundus in maligno positus, Ioan: 2.* Hic regnat Lucifer per *Concupiscentiam carnis, Concupiscentiam oculorum, & Superbiam vitæ.* Apocali: 17. Qui aureo calice, quem in manu tenet Meretrix, in cuius fronte scriptum Mysterium, infinitam stultorum multitudinem inebriat: & ad inferos detrudit.

Ideò & B. Antonius (Eremita, vidit totum mundum) ob retia in eo insidijs plenum, & exclamauit in cælum: *Domine quis effugiet.* & Responsum accepit. *nemo, nisi Humilis,* id est, qui se infra retia submiserit. Sed Deum bonum, quot, & quanta sunt hæc retia? Potest enim Dæmon, non modo in vigilia, sed etiam circum nos Dormientes, aërem impurum excitare, & pollutionem nocturnam in nobis procurare, vt sic polluto corpore, pollueretur & anima per delectationis consensum, incitato corpore, incitatur & anima dicit Rosellus.

Et quotusquisq; hanc miseriam agnoscit? Thom: à Kempis. Væ hanc miseriam non agnoscentibus; Et magis væ, illam diligentibus.

Vnde benè quidam. Onimis grauis angustia, si me inspicio, non tolero meipsum si non inspicio, nescio meipsum: si me considero, terret me facies mea, si me non considero, fallit me damnatio mea, si me video, horror est intollerabilis, si non video, Mors ineuitabilis.

Plerumq; etenim tanquam cœci ambulam⁹, miseriam nostram non considerantes, cœcitate

malorum involuti, imò Interitum æternũ quoddam somnium, & phantasma vanum, reputamus.

O quam igitur benè talibus occinit antesignanus Doctorum excitans ex hoc Lethargo interitus. Accessus ad meliorem vitam, est cognitio infelicitatis suæ. Rari enim eam amplectuntur, & agnoscunt vix unum è mille reperias. Imo. *Quis est hic & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua* Eccl 31.

Eandem miseriam ineffabilem quidam attentè considerantes, dixerunt illum fœlicem. Qui nunquam natus sit. Proximè fœlicem: Qui quantocyus dehinc migraverit. *Raptus est enim* (inquit Sapiens,) *ne malitia trãsmutaret sensum, & fascinatio nugacitatis obumbraret intellectum. Placita enim erat Deo anima illius.* Sapi: 4.

O si fœlicissimus hominum, Doctor gentium, qui in tertium cœlum raptus, & ibi vidit, & audivit arcana, quæ non licet homini loqui & cui data est sufficiens gratia, ad perferenda omnia mundi mala. Exclamavit. *Infelix ego homo, quis me eripiet de corpore mortis hujus.* Rom: 7.

Et quæ infælicitas poterat premere tantum virum? Amatorem zelosum. qui totius mundi sprevit tormenta? *Quis me separabit à Charitate Christi? an persecutio! an gladius? &c.* Rom. 8.

Dicent enim non alia miseria, nisi vita humana, nisi corpus. quod aggravat animam & deprimit sensum multa etiam bona supernaturalia cogitantem. *Sapien. 9.*

Eadem

Eadem miseria Paulum & Antonium primos Eremitas, à consortio hominum sequestravit, & in solitudinem vastissimam Egypti abduxit. ut fugientes mundum. Soli Deo vacarent. semper mente recolentes. *Fuge, Sede, Tace.*

Non sine mysterio & Sponsus, Sponsam charam in solitudinem evocat dicens. *Ducam eam in solitudinem & loquar ad Cor ejus.* Oseæ 4. *Qui enim sedebit solitarius, is levabit se, supra se.* Id est videbit & agnoscet suam miseriam. quam tota noctis oratione B. P. Seraphicus efflagitabat dicens, *Domine noverim me, noverim te.*

O si & nobis miseris liceret intrare in solitudinem mentis, ut ibi Aperiremus oculos mentis nostræ, & corporis, & nostram tam grandem miseriam, non pigeret frequenter considerare. si queras? cur & Arsenius Eremita, semper humectantibus oculis madida adhæreret strophia? Non aliam ob causam, nisi, quod se in hac misera lachrymarum valle, vivere miserum cognosceret? Cor enim eius amore inflammatum in cœlum sursum ascendere conabatur: Sensus verò & affectus deorsum tendere moliebantur.

Hanc nostræ vitæ miseriam optime Regius Psaltes illustrare volens. *Psal.* 101. Assimilat hominem primò Pelicano solitudinis: Deinde Nycticoraci. Postremò verò Passerculo solitario in tecto. *Ecquid* est Pelicanus solitudinis, niprægrandis avis, Nycticorax nocturnus minor. Passer solitarius in tecto minimus.

Ita quilibet homo videtur esse Pelicanus; dum dotes naturæ, & fortunæ considerat, Intumescit. Dum vero suum exilium & miseriam? iam Nycticorax Nocturnus. Postremò dum se mortalem, & ignarum gratiâ, an odio sit dignus recogitat. iam est Passer cuius in tecto.

O si semel hæc homo mente recoleret, quàm in sua reputatione vilesceret. *Nunquam ambularet in magnis, nec in mirabilibus supra se.*

Eandem nostram miseriam vitæ, ingeniosè Mercurius exprimit. *Equidem ingentes Deo gratias habeo, quod de natura boni cogitanti certam sententiam infudit.* Quod in mundo bonum esse non possit. Siquidem mundus est congeries malorū. *Nemo enim bonus, nisi solus Deus.* Matt. 19.

An non miseria nostra magna, dum Caro nostra Carcer nuncupatur. Ideo arduum esse assveta & patentia relinquere & converti ad superiora. Quia quæ oculis cernimus, nimium nos delectant: quæ verò latent, & non videntur; diffidentiam potiùs, quàm lætitiam nobis afferunt. Siquidem bonum est occultum ijs, qui manifestis incumbunt. *Mercurius Trismeg.*

Et idem alibi. *Quo ruitis mortales? vinum ignorantia combibistis. Ignorantia pestis, totum mundum subvertit, animamq́; corrumpit, corporis vinculis inclusam non sinit eam salutis iter asciscere. Ne permittite vos in lacum corruptionis, mortisq́; submergi, respirate iam, resipiscite ad fontem vitæ recurrite, illumq́; qui vos introducet in aditum veritatis capessite.*

Vnde

Vnde benè hanc miseriam Poeta expressit.
Ah miseri miseri nescitis vivere, nescitis mori.
Moneo, moneo, ponite curas; cursu celeri, labitur ætas.
Et bonus Cæsar Augustus libenti animo lateri Vergilij & Horatij Poetarum, ut ab altero flendi, ab altero suspirandi sæpiùs materiam, & habitum addisceret: assidebat.

Sed quis miseriam; & maximè peccatorum nostrorum explicare poterit? Quæ misericordiã Patris misericordiarum ad iram provocant? ut etiam dixerit: *Pœnitet me fecisse hominẽ.* Genes. 6.

O miser homo peccator? *Deus tuus est Zelotes: etiam intertiam & quartam Generationem, visitans peccata parentum in filios,* Exod: 20. *ut Noe Nepotibus factum legimus.* Matth. 10.

Eheu? quis offensam, per peccata Deo illatam enumerare, valeat? de qua Psalmographus. *Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit?* Psal. 29. Et alibi? *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* Ps. 18. Insuper uti Patrẽ misericordiarũ orat. *Propitiaberis peccato meo, multum est enim. Nunquid vanè constituisti filios hominum.* Psaln. 24.

O quam audacter? & cur tam audacter? quia Amanter? Amor est enim medium vniversale salutis.

Sed misericordiarum Patris liceat Iudicia super miserum peccatorem commemorare? *Internas supra me Iudicia tua Domine & timore, ac tremore concutis omnia ossa mea, & expavescit anima mea valdè.*

valdè. Sto attonitus. & Video. *Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens: si remota misericordia peccata nostra discutias.* Psalm. 142.

Super quosdam etenim Iustitiam tuam, super aliquos misericordiam tuam manifestabis. Illa condemnabit, hæc teget peccata. Refert S. Dorotheus: In Vrbe Alexandriæ, suo tẽpore vendita ad littus maris multa hominum mancipia. E quibus unam puellam minorennem, pro suo servitio comparavit pia Monialis, dicens se ei velle dare institutionem Religiosæ pietatis. Alteram itidem minorennem emit Rufianna, volens eam omni vitiorum cæno immergere. Vos alloquor ô Minorennes! oquam diversa sors? & Institutio, & per cõsequens Salus vestra? Et quod super vos futurum est Iudicium DEI? Respondet S. Dorotheus super primam erit Iustitiæ. Super alteram Misericordiæ O verè Deus Iustus Iudex. Iudicia eius abyssus multa!

O quam misera sors hominis Peccatoris & quis miserebitur eius.

Iure meritò quidam hominis Peccatoris statum depingens finxit tale Sthema. Statuit hominem in medio, & primo cœlum aspicientem, &-dicentem. Deum meum offendi: *Væ mihi quia natus sum.* Deinde, *terram aspicientem & clamantem. Infernum promerui Væ mihi quia natus sum.* Tum *ad dexteram partem oculos levantem. Diabolo homagium feci. Væ mihi quia natus sum.* Demum ad

fini-

sinistram oculis conversis. Peccatū me coinquinavi. Væ mihi quia natus sum.

Ah miser peccator quo te vertes nescio? O miseriam nostram ineffabilem! O miserum genus humanum! sui status, conditionis & futurorum omnium penitùs oblitum. O utinam novissima provideres, & considerares? dicens. *Sicut pullus hirundinis sic clamabo. meditabor ut columba Recogitabo omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Isaiæ 38.

Sed hæc omnis miseria in nos redundat, ex peccato Originali, scilicet Ignorantia in ratione, Malitia & pronitas ad pecandum in voluntate. Concupiscentia in concupiscibili vi. Infirmitas resistendi, in vi irascibili: peccatis. Et cur ita? Cur tot miserijs homo involutus? Et cur Corpus ærumnosum homini datum est? & mortale. Ne homo tot ærumnis circūvallatus Deitatem affectaret. Et cur ei Deus dedit Animam obliviosam, ignorantem, tristitiæ & curis obnoxiam? Ne ad propriam generationem respiciens, majorem propriâ dignitate opinionem de se conciperet ut Lucifer, & Adam.

Eapropter anima immortalis in mortali corpore residet, sine materia in materia, expers corruptionis, in corpore corruptibili. Differit de morte, mori nescia. De morbis, morborum ignara.

Proximo morti corpore vivacior. Intereūte, Erectior; hostem non habet. Eunt unâ visibilis

cum

cum invisibili. Mortalitas & Immortalitas. Æternitas & tempus. Vicissitudo & Constantia In carne abiectissima præstantissimus Spiritus Ipsi hospites, & domicilium.

Carceres, & Captivi. Partetenus Dei, partetenus hominum, partetenus cœli, partetenus terræ. Foris nullius; intùs quantivis pretij. Foris despecti, intùs admirabiles Foris prophani, intùs sacri, & prorsus venerabiles, si carne exisstimemus nullius pretij, si explicetur Exuvijs, grandem thesaurum habet. Et quod maximè notandum. Animæ miseria.

Domina mundi, Civis Cœli, dilecta Dei Projecta in terram, addicta servitio Carnis; Prostituta Spiritibus immundis, diu sub jugo servitutis, ad faciendam curam Carnis in desiderio O quàm vilis facta est *quasi vidua Domina gentium Princeps Provinciarum, facta est sub tributo.* anima Hieremi Thren: 1.

Omnia novit præter se, sui ipsius exiguam notitiam habet, aut nullam. Lux est quæ illuminat, sibi caligo. Oculus est qui omnia videt præter se. Magistra omnium non sui.

Et quod nunquam verbis satis exprimi potest imitatur Passiones Corporis, & per sensus speculatur phautasmata Si sensus sunt benè dispositi. Homines doctiores, eloquentiores, & in omnia aptiores reddit. Aliquos verò nd omnia ineptos Non enim ex omni ligno fit Mercurius naturaliter facit.

Anima

Animæ autem hominis duæ ſunt partes, ſeu duo gradus perfectionis, Superior & Inferior. Superior ſpiritualis, fide, & gratiâ illuſtratur Dei.

Inferior dicitur brutalis, quia paſcitur ſenſualibus. Idcircò & vetus homo ab Apoſtolo dicitur. *Expoliantes veterem hominem cùm concupiſcentijs ſuis.* Coloſſ: 3. Exinde & anima multa habet nomina.

Dicitur *Subſtantia*, quia eſt forma Corporis.

Imago Dei Quia homo ad imaginē Dei creat⁹.

Vita. Quia dat motum & operationes.

Immortalis. Quia non habet contrarium in ſua ſubſtantia.

Intellectus. Quia omnia novit, quæ ſunt in mundo.

Ratio. Quia bona & mala diſcernit. Vera & falſa.

Mens. Quia poteſt finem intelligere, Cur à Deo ſit creata.

Voluntas. Quia diligere poteſt Deum, & Proximum.

Libertas. Quia habet liberum arbitrium, quæ vult cogitandi & operandi.

Inſuper *Spiritus, Suprema pars animæ*: quia cæleſtia meditatur.

Nec mirum, quod dicatur pretioſa margarita, Cœlo præſtantior, terra, & mundo; ac omnium pulcherrima. Ejus pulchritudine captus cæleſtis Agricola omnibus venditis eam comparavit.

Iam ergo cōſidera? quanti valet anima? tanti, quanti & Christus, quia pro ea datus eſt. Et

tam

tam pretioso munere eius redemptio agit, homo Deum valere videatur.

Diciturq; *Anima* in quantum corpus vivific *Spiritus* verò in quantum supercælestia contemplatur.

Memento igitur homo, quia ex humo formatus es. Vnicam animam, unicam vitam, unicam gloriam esse. Ac hominem *Microcosmum* vocari. Quia totus in mundo, & mundus in illo. Quia in illo est Infernus, & ille in Inferno. Ille est in mari, & mare in illo. Ille est in arboribus, & arbores in illo. Ille est in vanitatibus, & vanitates in illo. Ille est in Concupiscentijs, & Concupiscentiæ in illo, &c.

Et siquidem positus est in terræ regione, carnem portans, sine peccato esse non potest. Terra enim, velut quidam tentationis locus, Carnisque corruptellæ illecebra.

Ea propter terra est naufragium animæ nostræ, & omnium virtutum: Vnde nostrum omnium, & tota vita, cum vitijs assidua pugna, rara victoria. Heu quàm miser status hominis super terram.

Denique quia miseri, rudes sumus, sensibus dediti, sensibus immersi, ideò ruditati & infirmitati nostræ se Deus accommodat, & per sensibilia nos sanctificat. Ac contactu corporis Spiritum suum sanctũ, & Spiritualia, id est, Gratias nobis infundit.

Per Sacramenta, & Sacramentalia sanctifica-

à pecca-

à peccatis emundat, & sanctos, perfectos, sibiq; acceptos, & Deo gratos efficiet? nisi Amor! Amor nos de hoc naufragio salvabit. Amor Simascoriam tollet de medio nostri vitiorum.

Sed quia in terris non invenitur facilè, nisi tarò alter Phœnix, Amor. Et non nisi Electis, & Prædestinatis datur.

Igitur miser clamabo: Ecquis mihi dabit Seraphim Spiritum & Cor amore inflammatum? quis mihi dabit Spiritum Thronorum, Archangelorum, Angelorum, & aliorùm præstantissimorum Spirituum, ut Amor meus, quoadusque supervixero, sit à terrenis simulachris expeditior, & cœlestis Patriæ similior.

O mi dulcis IESV, ubi te ulterius quæram terrigena, & sequar, in terra non inveniens. O Amor Cordis mei, concede, ut Cor meum te sequatur, & in supernis habitantem amplectatur brachijs amoris.

O Domine, quando tandem, ero tecum totus unitus, & absorptus, meiq; in hac lachrymarum valle totaliter oblitus. Tu in me, & ego in te, & sic nos pariter in unum esse, & manere concedes. Hoc oro, desidero, ut tibi totus uniar, & Cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham.

O Deus Spes & refugium omnium miserorum, esto propitius mihi peccatori, & qui super Lazarum flevisti, da mihi peccata mea deflere; ut lavari valeam cum Naman, à lepra meorum peccatorum.

O Universorum Conditor & gubernator, multas & diversas tribulationes, & adversitates dedisti mihi miserabili peccatori misericorditer, non ex odio, sed ex amore: ut me retraheres ab iniquitatibus meis, & ut prostratum Cor meum ad te elevares, ac immersum his uanitatibus ad amorem tuum sanctificares, nam mortificatio est nostra sanctificatio, & Cordis immolatio.

O Deus misericors, da mihi hanc miseriam tam grandem præ oculis semper, dies noctesq; habere; & eam recolere, ut sic ad meliorem vitam accessũ (per cognitionẽ infelicitatis meæ) valeam habere: & tamdiu habere, donec hoc miserum & corruptibile Corpus, in substantiam spiritualis animæ refundetur. *Lect. S. Polycarpi.*

O Deus Pater misericordiarum, aspice & miserere mei, & da mihi continuũ humilitatis acquirendæ laborem: Omnis enim noster labor sine humilitate vanus est; Humilitas est præcursor charitatis; sicut Ioãnes erat præcursor Christi, omnes trahens ad eum, ita & humilitas attrahit nos ad Charitatem, & ad ipsum Deum, quoniam tu Deus Charitas es; & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in illo.

Tituli Amoris, ex S. Maximo.

O Deus meus, O dulcis vita mea, tua incomparabilis Charitas similis videtur, splendidissimo soli, ac fulgentissimo, qui circumquaq;

Amo-

Amoris radios ex ſeſe diffundit, tantæ efficaciæ vt velocius medullas ſpiritus penetrent, & conſummant, quàm flammæ Ignis materialis ligna arida.

An non Radij ſunt tui Amoris, dum conſidero & video tuum Amorem eſſe Aeternum, Infinitum, Gratuitum, Beneficum, Indiuiſum, Efficacem, Singularem, Exceſſiuum, Actualem, & Perſeuerantem.

An non Aeternus Amor tuus ô Deus Omnipotens. Qui eſt Principij expers, quo nos antequam in lucem ediri eſſemus dilexiſti, teſtante Propheta. *In Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miſerans tui* Ierem 38.

An non Infinitus Amor tuus Domine. Qui infinitis partibus Paternum, Maternunq; Amorem excedit. Imò infinitè Angelorum, Archangelorum, Cherubinorum, & Seraphim dilectionem ſuperat.

O incendium Amoris tui plùs quàm Seraphicum, Gratuitum dum te inclinaſti ad diligendum nos; Non ob aliqua merita noſtra, Tu enim bonorum noſtrorum non ages; Sed nos amas, ex ſola gratuita bonitate tua. O amor ineffabilis.

Dum igitur Gratuitum Amorem tuum ſentio, an non dicam ſimul & Liberalem, Tu enim moueris hoc amore ad conferenda nobis beneficia munificentiſſima. A te habemus Eſſe, viuere, ſentire & intelligere. Tua immenſa Liberalitas nobis contulit ſanitatem, pulchritudinem, diuitias, magnificentiam, & alia infinita.

O quàm Liberalis est Amor, qui etiamsi sit totalis, atq; indiuisus, vnde licet si omnia quæcunq; sunt in mundo Generali quodam Amore complecteris, Non tamen minuitur. Amor ille quo me speciatim diligis, Eodem Amore & Electos tuos cum alijs, quasi eos solos haberes. Nam vno actu simplicissimo & indiuisibili, te illis quodammodo concedis, vt nihil possis, & velis facere mihi, quidquid illis placuerit. Heu quis hunc Amorem comprehendere potest?

Exinde hunc Amorem tuum tàm Magnum & summum dicam Virtualem, ac Efficacissimum, qui in te, tot admirabiles effectus producit (Quos in nobis insanus & Carnalis). O Deus meus quàm vndans est Amor tuus, qui te quodammodo inundat, inebriat, consumit, & languorem inducit præ ingenti desiderio, quo flagras, te vnire, & indissolubili amoris vinculo coniungere, & sociare, animabus nostris. Vnde & Zelotypiâ exardescis, ne quis alio Amorem tuum transferat. O gaudium Cordis mei, quam vehementer sauciatum est Cor tuum, vt dolores atrocissimos Passionis tempore, aut dissimulaueris, aut non senseris. quos pro nobis sustinuisti.

Et cuius est insuper Amor Excessiuus quam tuus? qui te totum in Passione pro amore omnium expendisti? Qui lauacrum ab omni iniquitate in sanguine tuo nobis, & Ecclesiæ tuæ præparasti. Vt omnem decorem incomparabilem, & antiquam pulchritudinem consequeretur. In sangui-

ne dico

ne dico tuo puriſſimo, ne ullo tempore nos tui caperet oblivio, ſed eius memoria ſemper præ oculis noſtris verſaretur, ut tanti, Ineffabilis, & Exceſſivi Redemptoris.

O maiorem Dei longè Amorem quàm Parentum in filios & Sponſi in Sponſam. quo tu Deus nos deformes, inutiles, & ingratos diligis.

Inſuper & quibus verbis deprædicare poſſum Amorem tuum Actualem, ô cœleſtis Amor, uti ipſe devotæ Ancillæ tuæ Birgittæ declaraſti, Quod idem & S. Petro Petræ Eccleſiæ, & S. Carpo inſinuaſti tanto te amore, erga genus humanum inflammatum etiam nunc exiſtere in cœlo degentem & regnantem, quanto, tempore doloroſæ Paſſionis tuæ flagrabas. Ita etiam nunc pro quolibet noſtrum paratum te eſſe pati. Et indies ſcimus te offerre Deo Patri, prout in paſſione, Cruce, & morte obtuleras. Eandem Oblationem tuam abſq; ſangvinis effuſione, & Eccleſia quotidie per ſacerdotum manus facit offerre. O verè Charitatem tuam Domine inæſtimabilem atq; ineffabilem. O dilectionem incomprehenſibilem. O quis noſtrum tàm gelidus & frigidus, qui ad Amorem tuum tantum, non inardeſcat, non incaleſcat, atq; inflammetur. Eheu quid me remoratur? Quæ Acheneis retardat, quo minus tanquam Ebrius, & mente captus, ſed Sancta quadam inſipientia & ebrietate diſcurram per vicos & plateas omnia implens, (ut Ioannes Dei) clamoribus.

O Amor, amor, amor meus carus, & rarus. Amor meus dulcis & bonus. Amor ſupremus & ſummus. O Homo. O Mulier. O Chriſtiane, ô Anima. Ergone potes præter Deum diligere aliquem in mundo? Ergone potes, aliud aliquid deſiderare? Cor tuum & Animam alij conſecrare præter ſoli Deo, qui te in Charitate perpetua Infinita attraxit, & tot Nominibus Charitatis ſuæ conſtrinxit, allexit, dilexit.

Iam igitur ô mi Deus & Creator, amare te in quantum miſer terrigena poſſum, & amare te magis, ac magis cupio, ô Amor meus: imò quã maximè. Quia tu es digniſſimus ab omnibus amari. Et quòd te amare deſiderem, non propter aliquod commodum meum. quia nimirum maxima à te ſuſcipio beneficia, & maiora ex tua promiſſione expecto. Atque imprimis propter infinitas perfectiones tuas, ob quas dignus es, à quovis homine, amari.

Imo volupe mihi eſt, ó vita mea, te amare, etiamſi nullum à te ſperarem & expectarē emolumentum. Tanto enim magis mihi amandus es, quanto maiora & ampliora ſunt tua beneficia, quibus me tibi indeſinenter devincis. Quaſi nunquam horum in me transfuſione, ſatiari, tibiq; ſatisfacere poſſis.

Te itaq; amo, & amplius amare deſidero, quia tu à me nihil aliud expoſcis, præterquam Amorem, & ex totis viribus contendere volo, ut in dies maiora in amore tuo incrementa ſumam,

mam: qui etenim non proficit, deficit. Planè etenim compertum mihi est, quantumcunq; adnisus fuero, me nunquam ad te perventurum, atq; perfectè tuas excellentias comprehensurum Finiti enim ad infinitum nulla est proportio.

Quocirca ô Deus vita mea, irrevocabiliter statuo, meum in te amorem transferre, teq; amare, amore tuis Præceptis conformi, videlicet ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus meis. Ex toto Corde quoad effectum, ex tota mente, quoad intellectum, Ex tota anima, quo ad reliquas animæ meæ potentias, ex tota fortitudine quoad sensus, & cætera corporis mei membra, ita, quòd omnia mea tibi dedicata & consecrata esse velim, in omne ævum, teque pro virili diligam & quo magis diligere possum. O castissime Amor Paradisi, quando te hoc pacto diligam. Heu Cor meum saxeum & frigidum, quomodo ad te Domine Spiritus, & anima poterit ascendere, ô mysticè Salomon; Imitabor illius Salomonis gradus, & quasi per quosdam gradus ascendere & proficere; in amore tuo conabor. Imprimis itaque ô gaudium Cordis mei amabo te Amore Sapienti. Quia nimirum in te omnes rationes veræ amabilitatis ac benevolentiæ reperiuntur.

Amabo te Amore Forti, ut nulla prorsus Adversitas, me separare atq; à Charitate tua pura & syncera transferre, ut Abestum lapidem inflammatum extingvere, valeat.

Sed non sat est Forti amore, sed amabo te & Amore Operativo, ut promptus, expeditus, & alacer sim in omnibus, quæ ad te spectant, utq; libenter de te, tanquam unico amore cordis, mei, cum alijs conferam, audiam, & sermones instituam.

Amabo te & Amore Feruenti, ut me à rebus inferioribus caducis abstrahat, atq; ad sublimiora ac cœlestia transferat, ut ijs totus inhæream, atq; omnia me inferiora esse existimem.

Sed si parum est, amabo te amore Violento qui me compellat, per ignita desideria, ac Suspiria indesinenter ad te suspirare, & Amorem tuum toties ô amor meus unice, ô anima animæ meæ indesinenter quærere.

O IESV vnice Amor meus. Da ut te amem amore Incomparabili qui me faciat & doceat, pluris æstimare amorem tuum, quam alium quemlibet erga quoscunq;, cùm nos doceas. *Qui amat Patrem & Matrem plus quàm me, non est me dignus.* Matth 12.

Et hic Amor excitet & generet in me Amorem Infatigabilem, ut nullam lassitudinem in tuo amore sentiam: imò ita impiger & indefessus sim, ut indies altiores in eo progressus faciam. Cum modus diligendi te Deum, Sit sine modo.

Et, si parum est. Da mihi ut te amem Amore Insatiabili? ut nulla mihi sit sine tuo amore requies, nulla consolatio, imò tormenti instar

repu-

reputem, te non amare integro & perfecto amore. Desiderium etenim tuum sentio insatiabile.

Amem te etiam ô Deus meus non modo amore, Infatigabili, Insatiabili, sed etiam *Penetrativo* qui me depascat, & totum meum Spiritum penetret, & penetret usq; ad divisionem animæ, & usq; ad ipsas medullas. O Amor vnice, quando me occupabis, quando Spiritum meum penetrabis? Quando inebriabor, & extra me rapiar ab ubertate dulcedinis Amoris tui.

Sed me miserum & infælicem, tot nominibus Amorem tuum compello Domine, iamq; penè fatigatus, exhaustus, sed nondum satiatus ab ubertate amoris penetrativi. Quocirca amabilissime & dulcissimeDñe, da mihi te amare amore *Liquefactivo*. Qui me totum ut Ignis Ceram. Sol nivem. liquefaciat, ac præcordia mea teneritudine & lassitudine deficientia consumat. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est*, dicam cum Sponsa. Cant. 5.

Ast, quis egosum, qui ardeo nimis, & clamo miser? quando te amabo Amore *Inebriativo*. Quando me Amor tuus Musto Spiritus S. inebriabit? quando me introducet in Cella vinaria, & ordinabit in me Charitatem? quando mei oblitus, & extra se raptus sine requie, *quaram quem diligit anima mea*. Cant. 3.

Et quando te amabo amore *Impassibili*, qui Cor & animam meam; ita Consolationibus & delectationibus repleat, ut omnis mihi mundi

amaritudo, corporis dolor, convertatur in dulcedinem Spiritus, ut pro te iniurias, & contumelias pati gaudeam atque intimè desiderem. Qui enim amat, non sentit vulnera doloris.

Insuper, quando te tandem amabo Amore *Unitivo*, per quem me tibi indissolubiliter unias, atq; arctissimo amoris vinculo copules, ut dicere valeam cum Apostolo. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Philipp. 1.

En sto ante te pauper, & nudus, gratiam Amoris postulans, & misericordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam Igne amoris, illumina cæcitatem meam, claritate præsentiæ tuæ; Verte mihi omnia terrena (ne cor meum distrahant) in amaritudinem: omnia gravia & contraria in patientiam: omnia creata, ut infima in contemptũ & oblivionẽ. Erige Cor meum ad te in cœlum, & ne dimittas me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc dulcescas, quia tu es amor meus, Amor meus, gaudium meum, dulcedo mea, & omne bonũ meum. O utinam me totaliter ex tua præsentia accendas, comburas, & in te transmutes. Da mihi Amorem *Transformativum*, ut quemadmodum vi ignis ferrum candescit, & quasi in ignem transformatur, ita & ego in te, à te, per te, totus transformer, & quasi in Divinam naturam transferar, ut totus tuus sim & tu vicissim meus. Vt unus tecum efficiar Spiritus, per gratiam internæ vnionis, & liquefationem ardentis Amoris tui.

CAP.

CAPVT XVII.

Incendia Amoris.

O DEUS lumen Cordium te videntium, & vita animarum te amantium & virtus cogitationum te quærentium: da, ut sancto tuo amori inhæream, veni igitur in cor meũ, & ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut oblivi-scar ista temporalia, & meipsum.

Pudet ac piget me talia pati, qualia mundus iste agit, triste est mihi quod video. Grave est omne, quod de transitorijs audio.

O Domine angusta est mihi, & domus animæ meæ, quousque ad eam venias & dilatetur à te. Ruinosa est refice eam, habet plurima quæ offendant oculos tuos, sed quis mundabit eam, ? nisi tu: ad te igitur clamabo. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Psal. 9.

O DEUS, suspirat tibi semper peregrinatio mea, ardeat amore tui Cor meum: In te confido, spero, & totam spem meam pono, per quem resurgam, vivam, & requiescam: nam creatura non potest tantùm diligere Deum, quantùm debet, & quantúm ab ipso diligitur.

Quocirca & ego amo te Deus, amo te, & magis ac magis amare volo. Da mihi ô speciose, ut desiderem te, & ut amem quantum volo, & debeo.

Immen-

Immensus es,] ergo sine mensura debes am-
ri, præsertim à nobis quos sic amasti, sic salvasti,
pro quibus tanta & talia fecisti, ac passus es.

O Amor qui semper ardes, & nunquam ex-
tingveris, dulcis Christe, bone IESV, Charitas
Deus meus, accende me totum igne tuo, amo-
re tui, dulcedine tua, desiderio tui, charitate tua,
ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flam-
ma tuæ charitatis vaporatus, diligam te, plus
quàm me, ex tota anima mea, cum multa cordis
contritione & lachrymarum fonte, ita ut nullum
in me adulterinus amor habere possit locum.
*Lachryma siquidem portas frangit Inferni, & carbones
extingvit feræ fornacis.*

Amans purgato ab exteris rebus corde, quan-
do ad Deum perveniat, quãdo valedicet mun-
quando carnis corruptionem evadet? semper
cogitat, quando veram pacem inveniet? quando
habebit Cor suum & desiderium ad superna ele-
vatum? hoc semper recogitat.

Amans dum sedet, ambulat, quiescit, vel a-
liquid agit. Cor tamen à Deo non recedit, om-
nes ad amorem Dei exhortatur, omnibus amo-
rem commendat, & quam dulcis sit Dei amor
corde & opere demonstrat.

Frenquenter Dei honorem contemplatur,
in eius contemplatione suaviter reficitur, tan-
tò feliciùs, quantò frequentiùs, & ferventiùs.
Dulce enim est semper ad considerandum
quod ad amandum, & laudandum semper
suave.

Hæc est enim vera Cordis requies, cum totum in amore per desiderium figitur: nec quicquam aliud appetit, sed in eo quod tenet felici quadam dulcedine delectatur & delectando jucundatur.

Sed quia nunquam te vidi Domine, nusquam novi faciem tuam? quid faciam longinquus exul tuus? quid faciam servus tuus anxius amore tui, & longè projectus à facie tua: anhelat etenim anima mea videre te. Accedere ad te desiderat, & inaccessibilis est habitatio tua. Invenire te cupit, & nescit locum, quærere affectat, & ignorat vultum tuum.

Iam ergò ô Deus meus amem te, amando cognoscam, ut de te gaudeam. Considera, quia Cor meum cor egens, cor miseriis obrutum, inconstantiâ oppressum, vagatur quærendo bona animæ suæ? O si quæreret vnum & summum bonum quod tu es: quid enim amas caro mea? quid desideras anima mea, ille est quicquid amas, ille est quicquid desideras supremum & summum bonum tuum.

Domine Deus meus evolve me, exonera me, ne urgeat super me puteus os suũ, doce me quærere te, & ostende quærenti te, quia nec quærere te possum, nisi tu doceas, nec invenire nisi ostendas: quæram te igitur desiderando, desiderẽ quærendo, inveniã amando, amem te inveniendo.

Ah Deus meus, da mihi amorem tuum bonum & sanctum, quo expellitur amor mundi, &

amor

amor peccati; amor mundi allicit & decipit. Amor peccati polluit & ad mortem trahit: amor verò tuus mentem illuminat, conſciētiam mundat, animam lætificat, & te Deum oſtendit.

O me igitur dicam millies miſerum, quod ſim tepidus? & durus quem etenim non emolliat amor Dei præveniens, tam inquã vehemens amor, ſcilicet quod homo propter hominem dignatus ſit fieri.

Et maximè cùm Cor meum non ſit in deſiderio æternitatis fixum, nec ſtabile eſſe naturaliter poſſit imò omni volubilitate volubilius exiſtit.

Sed cuiq; ſua libera voluntas noxia eſt, voluntas eſt cauſa damnationis. Deo verò nil ditiùs offertur bona voluntate. Bona voluntas Deum ad nos deducit, & nos in eum dirigit. Per bonam voluntatem Deum diligimus, eligimus, ad eum currimus. & pervenimus, ac eum poſſidemus, in ſimilitudinem Dei reformamur & ſimiles ei efficimur. Et ita amabilis eſt Deo bona voluntas, ut ipſe non velit habitare in corde, in quo non eſt bona voluntas. Hæc nos Sapientia illuminat, Deum demonſtrat. Ipſa charitate bonitatis nos inflammat: hæc eſt arbor bona, quæ non poteſt malos fructus ferre. Hæc eſt vera charitas, ab omnibus terrenis ac præſentibus prorſus aliena, juncta Deo inſeparabiliter, & vnita igne quodam Spiritus ſancti, à quo eſt, & ad quem refertur incenſa, inquinamenti

omnis

omnis extranea, corrumpi nescia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, supra quæ carnaliter diliguntur exclusa, affectionum omnium potentissima, hæc dicitur & charitas vera, germana, perfecta & excellentissima ad cœlos via: unde dicitur qualis voluntas, talis voluptas, per eam, quodcunque desideratur, habetur: Meritò S. Elisabeth dicit. Illum qui habet bonam voluntatem nemo coram Deo accusare potest, nemo à Christo separabit, quamdiu ipsa velit. Tolle propriam voluntatem non erit Infernus. Sola bona voluntate loqui potest Christo. Vbique locorum & temporum habere eum potest. Satisfacere ei solà bonâ voluntate potest, eum non possit alias. Contentatur etenim Deus bonis desiderijs, sicut avarus denarijs.

Bonà voluntate circumdata ô anima mea quære quærentem te, amorem tui, à quo amaris, cuius amore præventa es, & qui est causa amoris tui.

Ad eum suspira ardenter, desidera vehemēter. Amore potes ascendere, amanti nihil difficile, nihil impossibile. Anima quæ amat ascēdit frequenter, & currit familiariter per plateas cælestis Hierusalem, omnia ei dicunt, Ama Dominum Deum tuum.

Amans amantem Deum toties osculatur, quoties in eius amore compungitur.

Ama frequenter, & considera, quia amore venit Deus ad homines; venit in homines, & factus

factus est Homo. Amore Deus invisibilis factus est servis suis similis.

Per amorem ad Deum accedit, inhæret, & de omni re consulit.

Amans anima, nihil potest cogitare, & nihil loqui aliud nisi amantem, quia omnia fastidit: quicquid meditatur, loquitur, amorem sapit, redolet, quia eam sibi amor vendicavit.

Qui vult habere notitiam Dei, amet. Et qui vult amari, amet.

Qui verò non amat, frustra accedit ad legendum, orandum, meditandum.

Amor Dei animæ amorem parit, & eam sibi intendere facit. Quia dum amat, vult vicissim amari. Exinde anima cunctis suis renuntiat affectibus, ut soli incumbat amori, & respondere possit.

Et cùm tota se effuderit in amorem, quanti est ad illud fontis perennis profluvium, quis sciret, quis intelligere? & considerare potest?

Non pari ubertate concurrunt, Amor & Amans, Anima & DEVS, Creator & creatura, tamen si ex toto se diligit, nihil est ubi totum deest.

Anima amans fertur votis, trahitur desiderijs, dissimulat merita, majestati oculos claudit: aperit voluptati, ponens se in salutari.

Amore anima secedit à corporeis sensib9, & sese nõ sentiat, quæ Deum sentit. Vnde fit, quod mẽs ineffabili Dei illecta dulcedine, quodãmodo sese sibi furatur, imò rapitur, atq; elabitur à seipsa, ut Deo

ut Deo fruatur ad jucunditatem.

O quæ & quanta dulcedo amoris, nihil enim tam jucundum, nisi esset tam modicum, in terris viatori.

Amor dat familiaritatem Dei, familiaritas ausum, ausus gustum, gustus famem, & desideria continua generat.

Insuper anima quam tangit Amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nil desiderare; sed frequenter suspirat, dicens. *Quemadmodū Cervus desiderat ad fontes aquarū, ita anima mea ad te Deus.* Psal. 41.

Amore Deo conjungimur, & sociamur; velut quadā affinitate & consangvinitate. Idcircò

Qui Deum diligit, oculos suos semper habet ad Deum, quem diligit, quem desiderat, de quo meditatur, delectatur, pascitur, impingvatur.

Amans Deum in omni oratione, cantione, lectione, quasi assumptus sit ad Deum, ante faciem majestatis in excelso throno: mores componit.

Animam quam visitat Amore Deus, expergesce re facit dormientem; monet, & emollit eam, quia jam vulnerat Cor ejus. Tenebrosam illuminat, clausam reserat, frigidam inflammat, mentem asperam & irascibilem mitigat, vitia fugat, affectus comprimit, emendat, reformat, & comprimit Spiritum.

Solus enim Amor est ex omnibus animæ motibus, & sensibus, in quo potest Creatura, etsi

non ex æquo, respondere auctori, aut ipsi mutuam rependere vicem.

Amor per se sufficit, per se placet, & propter se. Per amorem conjungimur Deo. Amor facit vnum Spiritum ex duobus.

Amor facit idem velle, & idem nolle.

Amor facit mores componere: deinde quæ adsunt, quasi non adsint, demùm munda acie cordis superna & interna considerare.

Non potest enim Dominus non diligere carnem suam, membra sua, viscera sua.

O dulcedo amoris, ô amor dulcedinis, comedat te venter meº, & nectare tui amoris repleantur viscera mea, & eructet mens mea verbum bonum. Charitas Deus meus, mel dulce, lac niveum.

O Ignis qui semper luces, amor qui semper ardes, dulcis Domine, resplende mihi, accende me, illumina & sanctifica vas tuum, de malitia evacua, imple de gratia, vivam de te, per te, perveniam ad te, repausem in te.

O Deus lumen Cordium te videntium, & vita animarum, te amantium, & virtus cogitationum te quærentium, da, ut sancto tui amori inhæream.

Veni rogo ô Amor in Cor meum, & ab ubertate voluptatis tuæ inebria illud, ut obliviscatur omnia ista temporalia.

Væ enim miseræ animæ, quæ Deum non amat, arida manet & misera. Famuletur tibi semper mēs

per mens mea; Suspiret tibi semper peregrinatio mea: ardeat in amore tui cor meum. Repauset in te Cor meum, cor mare magnum, tumens cogitationum fluctibus.

Obsecro per viscera misericordiæ tuæ, quib⁹ creasti nos visitasti, oriens ex alto, jube misero pulsanti aperiri. Tu es fons vitæ, tu lumen claritatis æternæ, tu omnia ex quibus vivunt recti, qui diligunt te.

Vtique & Catuli colligunt micas sub mensa Dominorum suorum, & saturantur. Da mihi misero saltem micas amoris tui, & imple Cor meum, ut non amplius desiderio amoris tui diffluam.

Væ miseræ animæ quæ Deum non diligit, nō quærit, non amat; arida manet. Qui curat vivere non propter te Domine nihil est, & pro nihilo. Qui Deo vivere recusat, mortuus est. Qui Deo non sapit, desipit.

O quàm altè sublevatur homo, in contemplatione rerum Divinarum, & non tantum absorbetur, ab ardoribus, plus quàm Seraphicis.

Meum igitur Cor, quod nequit in hoc mundo, nec cantare, neque audire Laudes Divinas juxta votum suum, immittit se, inter desideria incomparabilia, quibus cupit dissolvi, à vinculis hujus vitæ, vt properet ad alteram, in qua est perfectio, atque perfectè Dilectus] meus laudatur, & amatur.

Hem! *quis dabit oculis meis fontem lachrymarum.*

rum. Ierem: 9. quia Deus amor meus, ab omni-
bus non amatur, non honoratur, non laudatur,
non cognoscitur, nō desideratur, ut eius volun-
tas fiat. Præcepta serventur: ut miser defleam,
quod ejus amore, non omnium corda accen-
duntur, atque id fit. Quia magis amant Datum,
quàm Datorem.

O si cognoscerent & gustarent, quàm bo-
nus est Dominus IESVS; qui recto sunt Corde.
Cujus tota *Lex*, Ama Deum. Et qui diligit, legem
implet. Cum in Vet: Test. fuerint 614 nunc
autem una placere Deo, aut etiam nulla. Dili-
gentibus enim Deum non est Lex imposita.

Hem! quis nostrum non amabit ferventer
Deum? Amare Deum, est animæ suæ misereri
Ecclef: 30 qui dicit. *Miserere animæ tuæ placens
Deo; & contine, ac congrega Cor tuum, in sanctitate
eius, maximè verò fuge, vel levem suspicionem libidinis.*

Væ mihi misero & negligenti; Amor odit
inertes. quo loco esse me, & fore apud Deum
credam? Si etenim Romani scilicet Tiberius
primæ adæ. tiæ admissionis numeravit amicos.
An & ipse Rex Regum Omnipotens, qui primam
intentiones considerat? apud quem Intentio ad
meritum. Actio ad exemplum, non numerabit
Primæ admissionis enim apud illum sunt, qui in
gratia Dei vivunt, sed adhuc in terris Viatores.
Secundæ. Qui vita functi, sed nondum ad visio-
nem claram admisi, pœnas dant Purgatorij.
Tertiæ verò, Qui jam in cœlis recepti, facie ad

faci-

faciem vident, & amore cælesti æternum perfruuntur.

Ideò, ecce in conspectu boni medici, & curare volentis assisto, vulnera detego, preces emitto, lachrymas effundo? Cur ergo dissimulas? cùm non sit tibi minor patientia, quàm voluntas misereri mei, & amore Cor meum aridum implere aut etiam incendere.

CAPVT XVIII.

Amans lachrymatur.

O DEVS meus miser ego & infelix, quantum teneor diligere te, qui prior me dilexisti, O bonitas summa, quæ me inutilem vermem fœtentem peccatis, nutris opimis donis tuis.

Oculi tui ad me, & ego non subsistam, ecce pereo, ecce non sum. Iob. 2. Tu dicis, Lavamini & mundi estote? ah quis me intromittet in Probaticam piscinam? vel quis Eliseus Iordanis aquis lepram peccatorum ut Candacis Eunuchi absterget? ecce fœteo, satiùs exorabo: *Lavabis me Domine, & super nivē dealbabor.* Psal 50. Tu prior, mihi Spiritū compunctionis, da Cor contritum & humiliatum, & non avertas faciem tuam à me. Obsecro per viscera misericordiæ tuæ, non me putridum canem, & abominabile cadaver despicias: Ob faciem & merita Christi tui. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas no-*

ctes, lachrymis meis stratum meum rigabo Psalm: 6. *Magna est velut mare contritio mea. Et lachrymæ in maxillis meis.* * Nec est amoris charitas in corde meo, ut consoletur me. Ariditatis *sagittæ infixæ sunt mihi, non est sanitas in carne mea.* Desunt lachrymæ, quibus expletur, egeriturq; dolor. Nihil enim citiùs lachryma arescit. Tu Domine accēde, inflamma ut liquefiat anima mea. Eheu me! quis Hieremias aut saltem Heraclitus, qui tota vita deflevit miserias hominum *dabit lachrymas oculis meis plorabo die ac nocte.* Ierem: 9. Rugiam ut Vrsus, meditabor ut Columba amoris desiderio inflammatus.

O me miserum! quomodo induratum est Cor meum? & oculi mei continuò non producūt flumina lachrymarum? *Confige timore tuo carnes meas,* ut semper tanquam tumentes aquas timeā Domine judicia tua. Qui nescit lugere quod gravat, non valet proferre quod sublevat.

O dator bonorum Deus, da mihi inter laudes tuas fontem lachrymarum, ut perfectè te diligens, cordis palato sentiam, *quàm suavis est spiritus tuus Domine.*

O fructus vitalis, ô liquor suavissime, ô paradise amœnissime, ô malum pulcherrimū semper floriferi Cordis paterni, ô botre Cypri mellitissime in vineis Engaddi! vide, & considera, quia amo te, magisq; ac magis amare exopto; idcircò lachrymas ex oculis, suspiria ex imo cordis effundo: Quia tu es mihi omni melle dulcior,

* Thren: 1.

cior, omni lacte nutribilior, omni luce clarior.

Displicet mihi totum, quidquid ago in sæculo, præ dulcedine tua.

O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingveris! O amor, qui semper ferves, & nunquam tepescis, accende me, accendar totus à te, ut totus diligam te: minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat, aut quod non propter te amat. Educ de petra Cordis mei fontem lachrymarum. Lachryma portas frangit Inferni, Carbones extingvit fetæ fornacis.

O quàm felix Petri peccatum, quem dum respexisti, *exivit foras & amare flevit.* Marci 14. Ecce quantum fletus profuit Petro, antequam fleret lapsus est, postquam flevit lapsus non est, & qui ante lachrymas prævaricator extitit, post eas, pastor assumptus est, & alios regendos accepit, qui seipsum antea non rexit.

Sed, unde mihi verba, vt explicem, amorem tuum in me. Creasti me ad imaginem tuam; Lumine vultus tui superliminare Cordis mei signasti. Donarijs quasi filium parvulum & tenellum uberibus tuæ dulcedinis lactasti.

Eheu! *quis dabit oculis meis lachrymas plorabo die ac nocte,* quia Cor meum simile Saturno Planetæ, qui ut proximus Soli deberet esse calidissimus, & frigidus est. Quia est propè illas aquas, quæ super cœlos sunt frigidæ. Sic Cor meum amorem loquitur, desiderat, invocat, & est frigidum & aridum ad fletum.

Heu me! quàm uberrimè anima amans debet gemere, & flere? dum maiorem profectum in amore desiderat? maximè aspiciens lachrymas bonæ mulieris Annæ? quæ ad tabernaculum rogatura pro filio veniens, amaro animo lachrymas fudit, & post lachrymas & preces, vultus eius non sunt in diversa mutati. Obtento voto, ô lachrymæ! quæ vestra potentia? O felicem effectum lachrymarum.

Vnde & ego tuam Domine deprecor clementiam, & specialem imploro gratiam, ut totus in te liquefiam, & amore tui pereffluam in lachrymas uti Biblis conversus. Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur.

Memorare meæ miseriæ & inconstantiæ, quia dolore gravi torqueor, & verecundia suffundor, quia me miserum aridum, & frigidum, iacere intueor deorsum. Nemo namq; beatitudinem Amoris tui desiderat condignè, nisi qui pro es quotidiè cum lachrymis orat.

Et quanto quisque est sanctior, ac desiderij plenior; tantò est in orando fletus eius uberior.

O lumen oculorum meorum Domine, dic mihi, & doce me, quomodo gemere & flere debet talis anima, quæ te diligit ex toto corde, & videre toto desiderio concupiscit, & in tuo amore, plus vltra proficere.

O unica spes miserorum Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur. Præsta mihi gratiam, propter te, & propter nomen sanctum

ctum tuum, ut quoties de te cogito, loquor, lego, audio, scribo, & quoties tui reminiscor, preces, & Sacrificium offero, toties obortis lachrymis, in conspectu tuo copiosè, & dulciter fleam, ac puniam fletibus culpas. Quoniam, vulnerum animæ tanquam sangvis lachrymæ sunt.

O bone Magister! tu nos docuisti verbo, & exemplo gemere & flere, dicens *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matt. 5. Tu quoque flevisti amicum defunctum Lazarum: & lachrymatus es valde super Civitatem perituram Hierusalem.

Quocirca rogo te ô bone I E S V, per illas pretiosissimas lachrymas, quibus nobis perditis misericorditer succurrere dignatus es. Da mihi gratiam lachrymarum, quam multum desiderat anima mea: nam sine dono tuo non possum habere eam. Sed Spiritum sanctum qui pro nobis orat gemitibus inenarrabilibus, ac dura corda emol[illegible] & ad fletum compungit, infunde Cordi meo.

O Creator optime, qui dedisti lachrymas Mariæ Ogniacēsi continuas & effusas: da mihi quoque misero, peccata mea deflere, & lachrymis gratiam tuam seu Compunctionem impetrare.

Quid enim illis lachrymis formosius esse potest, quæ perpetuo imbre tanquam margaritis faciem exornant.

Miserere miserere mihi indigno servo tuo, & da fontem lachrymarum. *Da superius & inferius ir-*

rius irriguum. Iudic 1. vt Axa petijt, vt sint mihi lachrymæ panes die ac nocte superius ob amorem cælestium, Inferiùs ob timorem gehennæ effundam si fieri possit sangvineas (ut S. Ludvina) lachrymas.

Miserere, da lachrymas Compunctionis, ut in Conspectu tuo per ignem amoris, holocaustum pingve, & medullatum efficiar. Macter totus in ara Cordis mei, & tanpuam pingvissimum holocaustum assumar, in Odorem svavitatis.

Da mihi Domine dulcissime, fontem irriguum, fontemq; perspicuum, in quo lavetur assiduè istud inquinatum holocaustum, Cor meum miserum. Fletus ærumnas levet.

Da mihi lachrymas, quia in multis quotidie offendo, propter nimiam fragilitatem meam. Nam & iustus septies in die cadit.

O amabilissime DEVS da mihi gratiam lachrymarum præcipuè ex multa dulcedine amoris tui, per misericordiam & miserationes tuas, lachrymæ etenim inveniunt, aut faciunt Paradisum.

Da mihi hunc cibum misero, & potestatem, ut quoties famelicus esuriero, facies ex eis, & dicam cum Psalmographo. *Fuerunt mi lachrymæ panes die ac nocte.* Psalm. 41.

O Domine pro pietate & bonitate tua tribue, ut iste calix tuus inebrians & præclarus, extinguat sitim meam, ut inhiet tibi Spiritus meus, & ardeat mens mea amore tui. Miser est

quem

quē Amor vrget. pœna enim est Lachrymæ verò sunt pœnarum animæ lenta quædam suspensio, amoris illices. Illæ sunt spiramenta Amoris magni & intensi. Vt enim Oceano inmenso dedit natura sinus, ne in immensum excresceret usque ad cœlos & mundum obrueret, ita oculis lachrymas, ne dolor amantis in inmensum excrescens, interficeret amantem & opptimeret. Et maximè cum & Petri Amor sit magis meritorius in domo Caiphæ dolorosus, quam in mõte Thabor gloriosus.

Dulcis IESV, da mihi evidens signum tandem amoris tui, irriguum lachrymarum fontē, iugiter manantem, vt ipsæ lachrymæ testentur in me amorem tui, ipsæ prodeant, & loquantur quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui, nequit se à lachrymis cõtinere & tēperare Qui enim flens, se miserum confitetur, illius Deus miseretur. Quia maior est tua misericordia, quàm mea miseria.

O misericordissime Dñe. ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatē tuam da effectum petitionis meæ. Precibus & meritis gloriosæ semper Virginis Matris tuæ & Omnium Sanctorum. & Maximè S. Casimiri Patroni mei. Amor siquidem tale bonum est, quod fruendo augescit, parcè utendo evanescit, ac minuitur licet sit inexpugnabile munimentum. Quod si quis omnium Angelorum naturali puritate praditus, Sanctorum omnium

integri-

integritate, sanctimonia conspicuus, & mortali-
um omnium bonis operibus ornatus, nec sic ta-
men te amare, & Compunctionem Cordis im-
petrare, dignus est. Compunctio namq; sicut
imber lachrymarũ non datur nisi sicut Israëlitis,
post quadraginta annos data est terra Promissio-
nis: ita amanti Deum, Compunctio post mul-
tas mortificationes, Orationes, vigilias concedi-
tur. O me miserum quis eas impetrare & obti-
nere merebitur? & quando?

O clementissime Deus quis intelligere & ex-
primere potest, quidnam conferas cum Com-
punctione animæ te amanti, nam teipsum con-
fers? O quid est te præstantius? & quid maius
te ipso habes? qui es merces magna nimis. Qui
tua dilectione fruitur, & quid illi ultra requiren-
dum restat? Qvi seipsum largitur, qui negare po-
test? Tu autem dum seipsum das, me tibi con-
iungis & copulas? Amitto iam meipsum & in
te transformor. uti gutta aquæ cadens in mare.

Et quid Sol radiantissimus aëri sereno, ac ne-
utiquam nubilo adfert. Quid Lucifer oriens
obscuræ præstat nocti? quid deniq; vernans æ-
statis amœnitas, iucũditatis & elegantiæ efficit,
& producit post exactos gelidæ hyemis algores:
[illegible]. Id præstat per lachrymas amor tuus ani-
mæ, illam sibi copulat, reficit, inhabitat & unus
spiritus cum ea efficitur. In persona amantium
Deum & Compunctorum dicit Apostolus. *Vivo,
ego, iam non ego sed vivit in me Christus.* ad Galat: 2.

O fons

O fons misericordiarum! O abyssus iudiciorum Dei! quis de fonte hoc bibit, & non amavit & non flevit? quis hanc abyssum consideravit, & non expavit? qui non amavit, & non flevit impius est? sicut qui non expavit, vecors, & insanus est.

O Domine! scio tuis mandatis obsecundare aquas, potentia obedientiali, contra naturam gravitatis sursum ascendere, fontes in montibus; aquas scaturire, tumentes fluctus Oceani terminos arenæ mollis non transcendere Et cur Cordis mei aqua vagatur circa desideria terrena? sursum autem ascendere & ut ad autorem naturæ redire abnuit? O Domine qui convertisti in Cana Galileæ aquam in vinum optimum. Impera aquis Amoris mei, ut ascendant sursum, cum vaporibus ad aquas quæ sub Cælo, & super cælo, sunt, & laudent nomen Sanctum tuum ac lachrymas convertantur, ut tu eas ponas in conspectu tuo.

Domine qvi convertisti aquam crassam ad preces Nehemiæ in ignem. Converte frigidum & lapideum Cor meum in Amoris lachrymas, iam dicatur Cor locus Nephtar purgationis ab imperfecto fiat in me fons salientis Amoris aquæ, in vitam æternam.

Qui enim animam suam lavare desiderat; lachrymis eam abluat, suspirijs, ac fletibus: eam lavato: ut in conspectu Dei, & SS, Angelorum cum gloria & charitate resplendeat, nam Anim

quæ

quæ lachrymis abluitur, immarcessibilem pulchritudinem acquirit.

Quocirca ô Misericors respice in me, & miserere mei da lachrimas oculis meis, plorabo die ac nocte, lachrymis rigabo stratum meum. quemadmodum enim umbram corporum nostrorum semper nobiscum circumferimus: ita fletum ac Compunctionem anima amans semper habere tenetur, & secum circumferre. Quo etenim uberiùs culpa fletur, eo altior cognitio veritatis attingitur. Et perconsequens gladius flammeus Herubim custodientis paradisum, per lachrymas amoris tui, debilitatur & extinguitur.

CAPVT XIX.

Amantis dulcis Mors.

QVamvis omnium terribilium sit Mors terribilissima. Est enim ultima linea rerum, ut Agag. clamavit. *O mors amara siccine separas.* 1. Reg. 15. Et quia intravit in mundum Invidia Diaboli. vocatur Desperationis Domina à Chrysologo. Maximè quia à Deo inter cæteras maledictiones homini collata, *Quacunq; die comederis morte morieris* Genes: 2.

Eandem & ipse Dominus timere visus est, dum dixit. *Tristis est anima mea usq; ad mortem, mortem autẽ Crucis* (iuxta humanitatẽ) Matt 26. Homini tamen amanti DEVM, & timorato dulcis

dulcis est & desiderata; post quam devicta est & prostrata Passione & morte Christi. Moritur etenim sæpè iustus non solū in charitate, & habitu amoris: Sed etiàm in actione & praxi, ut S. Augustinus Psalmos ad pœnitentiam recitans cum fletu vitam finivit.

Non est enim illi Mors terribilis. Vita enim illorum abscondita est in Christo. Nam iusti etsi vivunt, non sibi vivunt, sed ei qui mortuus est pro eis, & resurrexit: teste Apostolo. *Vivo ego iam non ego sed vivit in me Christus* Galat. 2. Vitam enim vivunt non suam sed Christi. Id sæpius repetit Apostolus. Quod Christus moriens pro nobis desideravit à nobis. & quid tandem desideravit à nobis? *Vt nos conformes redderemur ei, qui pro nobis mortuus est* dans nobis sua morte vitam. Non enim alio vivimus nos Christiani titulo, quàm quod ille pro nobis mortuus est. Mortuus est pro nobis, nobis, in nobis, Vita igitur nostra, non amplius est nostra, sed eius qui nobis per suam mortem vitam acquisivit. Propterea non debemus nobis amplius vivere, sed illi, non in nobis sed in illo, & pro illo. Qui igitur amant Deum, non amplius sibi vivunt & vivere debent, sed qui pro eis mortuus est, id est ut Divino amori mortis nostri Salvatoris, omnibus vitæ nostræ momentis consecremus, deferentes ad eius gloriam omnes nostras intentiones, desideria, opera omnia, actiones, cogitationes, & deniq; nostras affectiones:

Intue-

Intueamur sæpiùs hunc Deum Redemptorem expansum & affixum super arborem Crucis, velut super thronum honoris, in quo ille amore nostri, pro nobis mortuus est, & quidem amore longè magis doloroso, quam sit ipsa Mors.

Sed me miserũ! cur non concitat⁹ vehementi Spiritu super illum me proijcio? ut cum illo super Crucem, qui amore nostri, in ea mori voluit, moriar. Vt Pelicani nostri cœlestis sanguine vivificatus vitam supernaturalem Christi non meam amplius vivam.

O infelix ego, dicere deberem (si generositate & gratitudine præditus essem) *tenebo & non dimittam illum, donec benedixerit mihi.* Cant. 1.

Moriar ego, & flammis eius amoris, cum illo absumar. ut Pelicanus.

Idem Ignis Diuinum Creatorem, & me abiectam Creaturam consummabit.

Iesus, meus totus est, & ego illius. Viuam & moriar super pectus illius: me etenim neq; Mors neq; vita vnquam separabit ab illo.

Atq; hoc modo fit Sancta Exstasis veri amoris, quando non amplius viuimus secundùm rationes, & propensiones humanas sed secundùm nobiliores, & super illas magno interuallo exaltatas; secundùm inspirationes, & instinctus Diuini animarum nostrarum saluatoris.

Heu me miserum; Cum Amor sit fortis ut Mors hæc seperat animam à corpore morientis & ab omnibus totius mundi rebus, Ille verò amor-

mor sacer separat animam amantis, ab eiusdem corpore & ab omnibus quæ in mundo sunt. Nullum inter ea est discrimen nisi in eo, quod Mors reipsa semper separet. Amor autem solo affectu & desiderio.

An non fortis est sacer amor, vt dicam violentus, ille enim sæpius inducit separationem corporis ab anima, vt quasi impellat amantes ad egrediendum è vita, morte ita beata, vt illa beatior sit quàm sexcentæ vitæ. O quam fortis est amor tuus Domine Deus meus. An non violentus amor impellebat S. Ignatium ad mortem, qui Leonum dentibus dilaniari quantocius concupiuit, dicens: vrgebo me! vim faciam, frumentum Dei sum, vt dentibus Leonum molar, & deuorer. An non vrgebat ad mortem Amor dum dixit. Tota tormenta Diaboli in me veniant, tantum vt Christo fruar.

An non Violentus erat Amor & S. Agathæ, qui coëgit eam liberè & vltrò in rogum accensum, qui ei præparatus erat, maiori etenim intùs flamma amoris accensa fuerat, insilire.

Iure meritò dilectio morti comparatur. *Fortis vt Mors dilectio.* Cant: 8. Mors violenter separat animam à corpore, Similiter Amor Cor hominis à rebus caducis, impuro amore, & à seipso.

Et quæ est mors omnium nobilissima, & consequenter debita nobilissimæ vitæ, quæ vnquam fuit inter creaturas rationales? Mors inquam, qua ipsi Angeli mori desiderarent, si essent Mor-

tis capaces Eadem est mors diligentium Deum.

O mors amorosè vitalis! ô amor vitaliter mortalis!

Complures Sacri amatores coràm qui præsentes adfuerunt Christo in Cruce morienti; inter quos qui plus habuêre amoris, etiam plus doloris. Amor enim erat contemperatus, & velut maceratus in dolore, & dolor vicissim in amore, & omnes illi qui patiente Saluatore magno afficiebantur amore, magno quoq; & dolore mouebantur. At dulcis Matris Cor, quæ super omnes amabat profundiùs, quàm cujusquam transivit doloris gladius. Tunc dolor præacutus ille à Simeone prædictus gladius, qui Cor Matris pertransivit tantò vehementius, quantò hoc Cor maternum, magis erat conglutinatum, iunctum, & unitum unione filij ita perfecta, ut nihil vulnerare potuerit unius Cor, quin & alterius ad vivum sauciaret. Ceterùm, cùm pectus hoc maternum, ita amore esset sauciatum, non solùm non requisivit sanitatem sui vulneris, sed plagam illam magis amavit, quàm ullam sanitatem, habens maximo in pretio iacula doloris, quæ receperat ex amore, qui amor eiaculatus fuerat illa in Cor eius. Vnde desiderabat continuè mori ex illis, quia ex illis filius iam mortuus fuerat. Qui filius ut dicit universa Scriptura, & omnes Doctores: inter flammas charitatis, peracto & consumato holocausto, pro totius mundi peccatis expiravit. O incendium

Amoris

Amoris Divinum! Insuper & nunc pro animabus nostris mori paratùs

Si igitur Christus morte amoris generis humani, dum voluit, vitam posuit. Quidni & nos eamus, & moriamur cum illo, pro illo, & in illo. morte amoris dulci, & fælici. Ex morte etenim pendet Æternitas. Maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat, amore Salvatoris sui ut fecêre omnes Martyres,

Mortem non timet amore inflammatum Cor. non enim moritur, seu extingvitur, sed in meliùs mutatur. Istorum Mors meritò & iure Trespas id est transitus dicenda est ab hoc Hemisphærio parvo, ad illud maius & æternũ. *Ideo Iustorum Animæ in manu Dei sunt, non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Sap. 3.

Communibus rebus intolerabilior mors esse videtur: Sed huius expectatio non contristat iustum, verùm potius delectat. Novit enim quod mortis præsentia, laborum eius sit liberatio, & cursus ad coronam æternam. Vnde de morte Iustorum Iob. *Quasi meridianus tibi fulgor consurget, ad vesperum: & cum te consumptum putaveris; orieris ut Lucifer.* Iob. 19.

An non dulcis mors fuit Beatissimæ Virginis Mariæ placidissima, cùm Sanctissima Mater, nihil in se haberet, quod impediret operationẽ amoris filij sui, se vniebat illi vnione incompa-

rabili, per suaves & placidas exstases, quæ erant absq; ulla vi: exstases inquã, in quibus pars sensibilis non intermittebat facere suas actiones, nulla tamen per hoc creata vnioni Spiritus incommoditate; sicut & reciproce perfecta eius mentis applicatio, non multum incommodi pariebat sensibus. Atq; ita Mors huius Virginis suavior fuit, quàm quis sibi imaginari possit. Filius enim suauiter eam in odorem suorum unguentorum trahebat, illa autem percepto eorũ odore, currebat & suauiter illabebatur in sinum bonitatis filij sui. Et quamvis sancta eius anima summè amaret sanctissimum, & amabilissimum suum corpus, illud tamen absq; ullo dolore & renisu aliquo deseruit. Amor Divinæ huic Sponsæ, maximos mortis dolores apud Crucem crearat, unde consentaneum erat rationi, ut in fine mors ei adferret maximas, quæ excogitari non possunt, delicias.

Et quod dulcis sit Mors amantium Deum? quis mortem desideravit quàm ille magnus Propheta Elias ardentiùs! Et tamen non ei data, sed vivus Curru igneo translatus est in Paradisi delicias.

Quis dulciori morte de hoc Exilio translatus S. Magdalena? quis Francisco Patriarchæ Sanctissimo? Catharina Senensi? & S. Theresiæ, cuius Cor sagitta aurea ab Angelo transfixum erat. Quàm placida fuit Mors Hilarij, quam Musica cœlestis Angelica tot temporibus præ-

nuntia-

nuntiavit. Similiter & Lazari pauperis quam Angeli in ſinum Abrahæ detulerunt.

Amor, Amor, dulcis mortis Autor. Herba Dedocatos omnes infirmitates ſanat. Ita Amor Dei omnes dolores mortis mitigat & extinguit Quis tot millium Martyrum mortes crudeliſſimas dulcoravit. Quis S. Agnetis cor ita inflammavit amore ut etiam Carnifici diceret? Quid moraris Carnifex, & hæc eſt injuria Sponſi explectare placituram?

Charitas enim Chriſti urget nos, per ſingulares illuſtrationes, inſpirationes & motiones cœleſtes.

Charitatis gaudium in nobis generat confidentia, quam Cor noſtrum hiç naturaliter ad Deum, habet, quæ provenit ex Convenientia. Quam quiſq; cognoſcit, ſed pauci intelligunt, quæ negari non poteſt, ſed nec penetrari. Quia licet Magna ſed Secreta. Et quid aliud eſt, quia creati ſumus, ad imaginem & ſimilitudinē Dei, niſi quia hebemus eximiam convenientiam ad Deum. Ille trinus, tres etiam operationes in nobis. Ille totus in toto mundo. Anima tota in toto corpore

Sed, nec modò inter Deum & hominem eſt convenientia, ſed etiam Reciprocatio, reciprocæ perfectionis: ut ei ſimilis non inveniatur, non quod Deus recipiat perfectionem; ſed ſicut homo non poteſt perfici aliunde, quàm à Divina bonitate: ita Divina bonitas, non habet commodius medium quàm humanitatem vide-

licet. Homo habet magnam necessitatem & capacitatem boni, quo maximè indiget, recipiendi. Bonitas Dei magnum omninò ad elargiendum abundantiam, unde Propheta testatur *Aperiatur Dominus*, Isaiæ 59. Dei enim est magna affluentia hominis magna indigentia. Deus gaudet semper affluens elargiendo. Homo verò inops accipiendo. Deus promptus ad elargiendū. Homo inops, vacuus, & avidus, ad recipiendū. ita ut dificille sit dignoscere An Dei affluentia dando, an hominis inopia recipiendo: magis gaudea tut inter Matrem, & puerum sugentem ubera difficile discernere, uter illorum magis gaudeat, delectetur, suauitate affluat, & interna dulcedine rapiatur.

Et quoniam dulcis Mors Iustorum, tàm ex Convenientia, quàm ex reciprocatione nostra ad Deum. An non dulcis Mors fuit servuli pauperis nomine, & re, qui à primæva ætate statim paralitycus. Sed morti proximus, dum Psalmos pro expectatione exitus, cum alijs decantaret. Tandem voce magna tacere alios iussit dicens Nunquid non auditis, quantæ resonent laudes in cœlo? & dum illis intentus oblectaretur. Anima suavissimè e corpore migravit ad superos.

O quam dulcis Mors & illius Virginis, quæ audito nuntio proximæ mortis, dixit ancillæ suæ, Chara mea in domum Domini ibimus. repetens.

Quam dulcedinem insinuat Sapiens. *Iustus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Sap. 4.

Et bene

Et bene erit in refrigerio. Iustus enim sperat in morte sua, id est refrigerium, mercedem laborum, & intrare in thalamum Domini sui.

Dulcem mortem describens ait. *Placens Deo factus est dilectus & vivens inter peccatores; translatus est.* Sapien. 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animā illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.

A morte Christi benè iam somnus vocatur, Et quemadmodum somnus laboranti, ita Iusto morienti, Mortis somnus dulcis. An non dulcis somnus, illorum de quibus Apostolus. *Nolite cōtristari de dormientibus sicut & cæteri qui spem non habent.* ad Thesaloni. 1. 4.

Idcirco & Dominus noster mortem Lazari nominat; Amicus noster Lazarus dormit. Eamus, & excitemus eum à somno. *Ioan.* 11.

Somnus dulcis fuit Mors illi mendicabulo, cui in sterquilinio delitescenti, Angelus à servitio fuit. & S. David cum Musicæ cœlesti svavi melodia & dulcisona veniens, è vita misera eduxit, dormientem. *Sales.*

Mors somnus dulcis, sicut baiulatione fruticis Agnicasti, viatores singulare leuamen onerum sentiunt: ita Morientes invocatione Agni immaculati Christi IESV, Passionis & vulnerum, ac dolorum eius. Suos dolores & agonias dulciùs sustinent. imò amplectuntur.

O si non sensit dolores mortuis Prothogenes circa sui Satyri exprimendam dulcedinis plenam fistulam occupat⁹, priùs quam interfect⁹ est.

Non sensit mortem & Diomedes Mathematicus Syracusanus, circa suarum Sphærarum erectionem distractus, antequam obijt.

Hem quos dolores mortis Christianus perferre potest, intentus sui Amoris dulcedini. Traijcit siquidem Fati littora magnus Amor.

Iam enim absorpta est Mors in victoria, Vbi est Mors stimulus tuus?

Idcirco ob suam dulcedinem, & vitam æternam, ad quam nos introducit vocatur Votum Christianorum quorum nomine dicit Apostolus *Cupio dissolui & esse cum Christo*. Philipen. 1. *Dilectio enim Dei penetrat animã morientis*. Ea propter

Et Christus Dominus dum viueret nobiscum, constituit Sacratissimum Sacrificium ex amore suo, quotidie enim nobis nascitur, multiplicando mysticè suum amorem in Sacrificio. Quotidie etiam ibidem & moritur. O amorem Diuinum ineffabilem! ut nobis aculeum mortis dulcem redderet, ipse moritur nobiscũ & in nobis.

Iam ergo homo mortalis, Suge non tam vulnera, quàm vbera Salvatoris amoris plena. *Et moriturus respice in faciem Christi tui*. dulciter occinens. O IESV dulcissime, qui amore amoris mei in Cruce mortuus es.

Da mihi misero peccatori, ut amore Amoris tui moriar. Nam laus mori in amore tuo.

CAP.

CAPUT XX.

Dubium Amoris.

SEd quæret ex me aliquis, utrum laudabiliùs & magis meritorium ſit ipſum Chriſtum Dominum, ſi cuius fores pulſaſſet ſub tectum uti hoſpitem deſideratum, quem ſemper habere non poſſumus in terris, colligere? An cuivis alteri mendicabulo vili ex nomine, & amore DEI annonam miniſtrare? Omnes forſitan dicent, laudabiliùs fore Dominum ſuſcipere & ei miniſtrare, *pauperes enim ſemper habere poſſumꝰ.* Matth: 26. Aut fortè æquivalens. Sed nequaquam poteſt eſſe æquivalens, Dominũ præſentem ſuſcipere, cuius præſentia vel lapideum Cor ad ſe attraheret, quippe ipſa facies, & dignitas præſentis, quam cùm videris allicit, & beneficum te, & miſericordem eſſe jubet. Maior ergo charitas pauperem quàm Dominum ſuſcipere, & paſcere. Quia à Domino ſperatur retributio, quæ dicenda eſt ſpecies avaritiæ. Pauperem autem colligere, non eſt reſpectus lucri; à paupere enim nihil ſperatur, niſi merces & meritum amoris: ubi enim quæſtus irrepſerit, non multam laudem beneficentiã meretur inquit S. Chryſoſtomus.

CAPVT XXI.

Amor Prædestinatio.

O Bone DEVS, quomodo, & quàm intensè à me amandus es, & maximè dum tuã sententiam diligenter perpendo, dicentem: *Multi vocati & pauci Electi.* Matth. 21. Et cur pauci electi? an quia ante mundi constitutionem? pluresne reprobandi, & eijciendi sunt? Nunquid vanè constituisti filios hominum? Cur multiplicasti gentem & non magnificasti lætitiam? Heu me? quis Israëlitarum millia qui de Ægypti servitute in desertũ educti numerabit? Quis gratias & favores præstitos seu prodigia explicabit? & tamen tantùm duo de tot millibus terram promissionis ingressi sunt? & Cur? quia in deserto peccatis Deum ad iram provocaverunt. O quot hominum ante diluvium de toto mundo gratiam apud Deum invenerunt? nisi solus Noë. O quot cœlorum regnum intrabunt? O quot sine peccato? Ecquis nostrum in conspectu Dei justificabitur? quis in suo statu securabitur? & cuius justitia ante Deum non ut pannus menstruatæ? dicente Propheta. *Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Ps. 142. præsertim cum hæc abscõdita fiat à nobis *quis nostrum amore an odio dignus?* Eccl. 9. Tremens recolo quot jam in cœlos ascenderant, & inter sidera nidum suum collocarant? postmodum in abys-

abyssum detrusi sunt. Stellæ cæli, id est, Angeli impetu ferientis Caudæ Draconis.

Contremiscunt ossa mea omnibus diebus vitæ meæ, dum video vivos morientes, & eos qui inter filios ambulabant, in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse. Et cur defluxerunt? & cur infelices ceciderunt? Nisi quia amorem tuum postposuerunt, magis datum, quàm Datorem venerabantur; ideò gratia in eis vacua fuit. Qui enim te Deum amat, ille *prædestinatus est*: qui verò non amat *iam reprobatus*.

His consideratis, & quid miser dicam? aut quid faciam, qui nondum viam unitivam assecutus sum. Et quid faciam qui de luto vitiorum, seu habituum, & phantasmatum contractorum surgere totaliter non possum? toties surgo, toties relabor, toties tanquam canis ad vomitum redeo. Heu me miserum! Caro, infirma, aggravat Spiritum, & deprimit; Caro quæ in suo arbitrio non est, sed in malo vendita sub peccato, & non potest bonum velle, inquit Chrisost.

O Deus amor animæ meæ, qui me indignum ante mundi constitutionem ut spero prædestinasti, de mundo vocasti, idq; non ex operibus, sed ex profundis & inaccessibilibus secretis, incompræhensibilibus & occultis sapientiæ tuæ iudicijs. Da mihi ardentem flammã amoris tui, ad illuminandas tenebras meas & ex gratia tua provide dona efficacia, ad hũc salutis finem tanquam media necessaria.

CAPVT XXII.

Amor instar omnium.

EHeu me! quid potuit meliùs & gloriosiùs in laudem Amoris dicere Doctor gentium, quàm dum dixit, *Qui diligit Legem implet.* Roman: 13. acsi patenter dicat. Tale est hoc Præceptum Domini, tamq; efficax, quod si solum fiat: sufficit. Amor etenim cum sua Charitate instar omnium. Sine qua nihil prosunt omnia. Hæc est unum necessarium, ab hac tanquam ex Equo Traiano omnia bona profluunt. Hæc sola cunctis sectanda est, hæc sola sufficit. Hæc est velut frui apicula, quæ omnes virtutū flores circumvolat, earumque succum melleum in amantis animam comportat. ad amorem inflammandum.

Hæc est Dux Margaritarum, quo capto, nullo negotio capitur subditum ei agmen, nulla concha ex toto genere subsistit, imò omnes ceu ore vinctæ sequuntur, gregis Ducem. Ita amore captum Cor tibi se, à quo factum est, restituit, quo nihil sanctius, & dignius in homine inveniri potest. Quod tunc tibi datur, quando omnis cogitatio in te terminatur, gyrat, & circumflectitur super te: & nihil vult penitùs possidere præter te; sicque colligato animo te diligit, ut sine te amarus sit omnis amor fellea charitas, amara delectatio.

Amor, est lux animæ; quæ totum Corpus

luce sua irradiat, & sicut lux coæva & coæterna Soli. Sic Amor tibi. Lux est velocissima, nam Sole apparente in puncto Orientis, fit illuminatio totius Hemisphærij Sic amor non modò animam, sed & omnes actiones, & virtutes vivas, sed etiam mortificatas (non verò mortuas) illuminat & vivificat.

Lux est speciosissima aspectu, sine luce nil apparet, ideò dicitur plenitudo & ornamentum totius Creaturæ visibilis, & invisibilis.

Sic Amor speciosissimus, omnium virtutum plenitudo, denique instar omnium: Non enim numerositas operum, nec diuturnitas temporũ, sed Maior Charitas, magis auget meritum

Quocirca, ô Deus Cordis mei! amor unice! illumina me luce Amoris tui, *sicque luceat coram hominibus, ut eam videntes, homines glorificent Patrem nostrum qui in cælis est*. Matt. 5.

Insuper Amor instar omnium, ille etenim in adversis tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operib⁹ hilaris, in tentatione tutissimus, in hospitalitate lætissimus, inter veros fratres latissimus, inter falsos patientissimus, in Abel per sacrificium gratus, in Noë per Diluviũ securus, in Abrahæ peregrinationibus fidelissimus, in Moyse inter iniurias laboriosissimus, in David tribulationibus mansvetissimus, in tribus pueris ignes blandos innocens expectat, & Machabæis fortes ignes fortiter suffert, castus in Susanna, erga virum, in An-

in Anna post virum, in Domina nostra præter virum, liber in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humanus in Christianis ad confitendum, Divinus in te Domino ad ignoscendum & ad amandum.

CAPVT XXIII.

Quanti meriti Actus Amoris?

O DEVS meus Amor meus, qui *Verba vitæ æternæ habes. ad Cor. 13.* doce me ignorantem. Cur Doctor gentiũ, Charitatẽ tãti faciat, ut omnes alias virtutes ancillãtes ei esse velit, dicens: *Si lingvis hominum & Angelorum loquar? Si novero omnia mysteria Dei, si tradidero corpus meũ igni, si distribuero pauperibus omnem substantiã meã, &c: Charitatẽ autẽ nõ habuero, nihil sum, nihil mihi prodest &c.* Nihilne valent martyria cum sua patientia? nihil eleëmosynæ, nihil scientiæ, & fides viva? cum operibus, dicta formata.

Sed quantum capio, ostendit has quidem virtutes primarias & celeberrimas magni nominis esse, & gratissimas Deo, idcircò eas numerat.

Verùmtamen Charitas nullam habet similem: illa sola est, quæ sola nõ modo illustrat Coronat, sed etiã sanctificat, omnes alias virtutes, sua præsentia, & velut balsamo & odore cælesti cõdit & replet, ac Gratiam habitualẽ homini confert.

Charitas est, quæ non modo Virtutes excellentissimas, & minimas amantiũ actiones, (etsi parum in se habeant bonitatis) non modo gratas reddit, sed etiam nobilitat, tribuens illis

tulum & nomen sanctum, præcipuè in Corde amore accenso & Deo dedicato. Ex hoc fonte multæ Virtutes, licet maioris momenti, ut fides Catholica Martyrum patientia, Virginum Castitas, sunt minoris momēti in aliqua anima, quàm Amor debilis, langvidus, & lentus inhabitat.

Virtutes verò minoris momenti, ut iejunium, eleëmonyna sunt maioris meriti in anima, in qua Sacer Amor fervens regnat.

Taliter minutiores Virtutes B. V Mariæ, & S. Ioannis Baptistæ, aliorumq; Apostolicorum Virorum, Magnorum Sanctorum, majoris pretij & æstimationis sunt in oculis tuis DEVS; quàm illustissimæ plurium Sanctorum virtutes. Sicut multæ quidem & exiguæ sed amorosæ aspirationes Seraphinorum, majori amore inflammatæ majoris sunt meriti, maximis ac sublimibus Angelorum ultimi Ordinis.

Ita etiā simplicitates, abjectiones, humiliationes, latibula Sanctorū magnorū, factæ ardore amoris tui Domine, pluris fuerunt, ante oculos tuos, quàm magna & illustria plurimorum opera, quæ facta sunt, cum vana gloria, exigua charitate, & devotione.

O quàm Excellens res est Amor!

Quod autem dicimus, quod fides aliquos salvarit, eleëmosyna, alios temperantia, oratio, humanitas, spes, castitas, patientia; ideò, quod actiones harum virtutum maximè floruerint in aliqui, & aliæ in alijs Sanctis: semper tamen reciprocè. Et licet si debeatur laus particularib' vir-

tutibus, sed earum omnis honor referendus est in sanctum Amorem, qui omnibus, quam habet sanctitatem largitur. Quod clariùs & Apostolus insinuat: *Charitas patiens, benigna, omnia credit, sperat, & suffert* ad Corinth: Nisi quia Amor est anima, & vita virtutum cæterarum; patientia sine ea non est satis patiens, fides non est fidelis: benignitas non est satis benigna, nisi amor eam animet, & vivificet, seu ordinet & imperet patientiæ, ut patienter agat, spei ut sperãda speret, fidei ut credenda credat.

Hem quanta res est Amor! quàm efficax, excellens, dum non modò alias virtutes, per suam vitalem præsentiam sanctificat, alias ex sua natura, alias verò per mandatum, & autoritatem producat.

Peroptimè nuncupatur vinculum perfectionis, siquidem in illa, & per illam omnes perfectiones congregatæ conservantur; imò omnes virtutes admodùm sunt imperfectæ, sine amore ad suum siquidem finem qui est (efficere hominem beatum) sine illa pertingere non possunt. Nasci quidem sine ea possunt, augeri; sed perfici, ac completo titulo insigniri, nequaquã possunt.

Nam ut Sol materialis vernulis rosis, & lilijs, nec non & pretiosis margaritis, sicut & omnibus Stellis, suam claritatem tribuit, dum luce sua eas irradiat: Ita Amor omnes virtutes perficit, & excellentiores reddit.

Meritò igitur, cùm sit tam excellens, tam etiam

etiam meriti, ut unus eius actus plus lucretur, & mereatur, quàm Intercessio B. V. Mariæ Dominæ nostræ, & omniũ Sanctorum. Hic etenim actus, non de congrüo ut B. V. M. & omnium Sanctorũ meretur, sed de condigno: seu ex Iustitia amoris sudores remunerationis linteo detergi expostulat. Sic apud te Dñe expostulabat Doctor gent, dics: 2. Tim. 4. *Reposita est mihi Corona iustitiæ, quam in illa die reddet mihi justus Iudex, non solùm autem mihi, sed & ijs, qui expectant adventum eius.* id est, non solùm me, sed etiam alios operarios bonus paterfamilias advocabit, & *reddet vnicuique quod justum fuerit, secundùm opera sua.* Matth. 20.

O Amor meus Domine Deus, quandoquidem tam excellens est Amor tuus, ut vita, anima, perfectionis vinculum, deniq; sol virtutum sit. Obsecro igitur per viscera misericordiæ tuæ, conserua in anima mea misera, Amorem tuum, ut & in hoc exilio. & in æternum propter eum bene sit animæ meæ.

CAPVT XXIV.

Amans Contemplatione pascitur.

Q*Vi confidunt in Domino assument pennas Contemplationis & volabunt ut Aquilæ ad domum gloriæ Domini, & non deficient.* Psalm. 124. Non aliter anima mea, quæ versatur in perpetuo Contem-

 platio-

plationis & dilectionis Exercitio, clamat in suo silentio, sat est, abundè est, mihi sufficit, te Deum esse Deum. Bonitatem tuam esse infinitam, Perfectionem immensam sive ergo moriar sive vivam, mea parum interest, modo tu Deus qui es dilectus, & benedictus, in æternum vivas, vita dulcedinis & triumphis plenissima. Mors ipsa non potest Cor (quod novit suum amorem vivere) dolore quopiam afficere. Sufficit animæ meæ, quæ te amat plusquam seipsam redundare æternis bonis & hoc ideo, quia quod illam anima viuit, illa non in seipsa, sed tu Domine vivis rin illa. Exinde

Contemplatio quid est? nisi intensus amor qui conservatur vigilantiâ, & Oratione, Compunctione confortat animam, & igne suo quem generat, portat ut Enoch & Eliam, & transfert de terra in Paradisum voluptatis Amoris tui dulcissimi. Contemplativi renovantur Spiritu mentis suæ.

Contemplatio enim est Gratia spiritualis dilectionis, quæ ex plenitudine dilectionis & cognitionis in anima generatur, de hac dicitur in Exodo. *Domine si inveni gratiam coràm te, ostende mihi faciem tuam.* Et Eccles. 40. *Gratiam & speciem desiderabit oculus, & super hoc virides sationes.* Hæc gratia mentem quietat, pacificat, & velut sedem quietissimam ad Divini superadventus susceptionem præparat, quia *ignitum Eloquium Domini vehementer, & servus tuus dilexit illud.* dicit Psalmi-

Psalmista. *Psal. 140.* Contēplatio est holocaustū pingve & jucunda vita. Contemplativus assiduò DEUM *deprecatur, & placabilis erit ei, videbitq; faciem Dñi quasi in jubilo.* Iob 33. Exinde elevat hominē supra se, dum desiderium cœlestium in eo excitat. Spirituales delicias oculis etiam prout vidit Hieronymus, Sysois, Silvanus, Arsenius, cernere facit. Non habet amaritudinē convictus eius, nec tædium conversatio, imò gaudium & lætitiam Contēplatio Divinæ suavitatis, solis mentē & corpore puris conceditur.

Figurā eius dicam Virginē, cuius sinū aurea pluvia de cœlo implebat. Hæc est enim thesaurus pretiosus, incomparabilis. Imitatur animalia munda semper ruminantia. Iuremeritò Pars optima dicitur in æternum non auferenda. Hæc est lumen animæ, quo lucebat Christus Dominus in monte Thabor, similiter & Moyses ex consortio Dei; tam intentè, ut in eam filij Israël non possent intendere. *Exodi 34.* Hæc est *Margarita illa Evangelica pretiosa, de rore cœli, & solis radijs nata, quam qui invenerit homo, vadit & vendit omnia quæ habet, & comparat eam.* † Hæc est, quæ alias omnes virtutes, ut Sol Planetas, aurum, metalla, superat. Quemadmodum enim amare Deum, majus est quàm proximum; ita immorari in Contemplatione Dei, quàm beneficijs proximi magis meritorium, prout Abbas Ioannes docuit suos discipulos dicens. *Quamvis & illi bonum opus agant, & sit in illis probabilis con-*

† Matt. 13.

scientia, qui inter sæculares positi exercentur in Operibus bonis, & occupant seipsos actibus religiosis & sanctis, vel hospitalitatem sectando, vel caritatis ministerijs obsequendo, vel misericordiæ ac visitationis opera explendo: in quibus alijs quidem semper aliquid boni conferunt, semetipsos tamen castos servant. Sunt ergo, & isti probabiles, & valdè probabiles, qui in bonis actibus placent Deo, & sunt Operarij inconfusibiles, mandatorum Domini.

Sed tamen hæc omnia terrenos habent actus, & erga materias corruptibiles gerũtur. Qui verò in Exercitio mentis desudat & Spirituales intra semetipsum extollit sensus, longè illis superior iudicandus est, locum namque intra semetipsum præparat, ubi Spiritus Sanctꝰ habitet, & oblivionem quodammodo capiens terrenorum, sollicitudinẽ gerit de cælestibus & æternis. Constituit enim semetipsum semper ante conspectum Domini, & omnes præsentium rerum sollicitudines, post tergum jaciens, solo Divini desiderij calore cõstringitur, & imò in laudibus Dei positus, Hymnis & Psalmis die ac nocte non poterit saturari.

Qui ergo desiderat in Corde suo resuscitare pietatem, & renovare: Spiritu mentis internam lætitiam, fruatur illâ, (sicut Eliseus melodiâ, 4. Reg: 3.) ut revelata facie possit intueri gloriam Dei, & in imaginem pulchritudinis de claritate in claritatem proficiens á Spiritu Domini transformari.

Non

Non immeritò Domine jubes nos meditari semper in domo, in itinere, sedendo, surgendo, ambulando insuper dormiendo. *Deut. 6.* Quia meditatio ad omnia utilis, inanis fides sine ea, excidit dilecta Charitas & Contemplatio. Quid enim prodest amare, si non adsit de amore Contemplari de eo suaviari ac immorari.

Hem quanta est voluptas Cordis quod contemplatione pascitur; tunc enim transit Cor à se, & mens, & in Deum transfertur; & tu ei Domine mirabilia de lege tua, de cælesti gloria revelas; tunc enim *inebriatur anima ab vbertate Domus tuæ.* Psal. 35. Cuius enim est potentia, eius & actio. Qui caret ea, caret dulcedine brevi defecturus, & similis futurus Apocalipseos Bestiæ cuius cum alæ avulsæ essent, id est, dum amisit Contemplationem sublatū est eius, & candelabrum, quod lucebat ante Altare Domini, & reptabat super terram, ac propter mundi delicias deleta de libro vitæ, perijt. *Apocal.* 11. O Domine mi, doce me sic Contemplationi dies noctesq; vacare, ut augeatur in me ignis Amoris, qui in meditatione exardescit, & in Contemplatione ad te ascendit. *Psal.* 38.

CAPVT XXV.

Anima, plus ibi ubi amat, quàm vbi animat.

OBlivioni traditus sum, tanquam mortuus à Corde, quia defecit spiritus meus, & sensus mei, tam interni, quàm externi à me recesserunt, & adhæserunt post te, *Psal.* 30. qui es summum & perfectissimum bonum meum. Ipsa denique anima mea plus est in te per assiduã contemplationem quem amat, quàm in me ubi animat. Obliviscitur mei, præ amore tui, quem diligit, & in quo se vivere noctes diesq; per amorem meditatur. Sic oblitus sui Petrus in monte Thabor, dum tria tabernacula ædificare cupiebat. *Tibi unũ, Moysi unũ, & Eliæ unũ.* Mat: 17 & cur non sibi quoque nec socijs. Sed minimè sui oblitus, sed se tecum mansurum credebat & sperabat, quia suum Spiritum in te vivere, quem intensè amabat, & in te vivebat, meditabatur.

Amor siquidem vehemens seu intensus magno impetu transfert animam in rem amatam, & ita efficacìter occupat, ut omnes suas operationes, tam sensibiles, quàm intellectuales deserat, ad nutriendum illum, videtur etiam omnem sollicitudinem applicare, & seipsam deserere.

Similiter tu quoque Domine Spiritum tuum in pauperibus vivere doces, dum dicis. *Esurivi & dedisti mihi manducare, sitivi & dedisti mihi bibere, nudus eram. & cooperuistime, &c.* Matt. 25. Ecce quomodo illos amas, dum illorum passiones tuas esse dicis? Magnus amor & verus angustias angustiati suas facit. Sic quoq; guttas sangvinis in horto præ amore Stephani sudasti, qui tui

qui tui amore lapides accepturus erat, numerabas lapides, & meditabaris sangvinem. Deinde triumphatoris certamini non sine dolore astitisti. Mansvetus alapâ acceptâ locutus es, nam genæ tuæ Martyres Ecclesiæ. Sic quoq; Paulus patiens tibi convulneratus dicitur, quia tu magis amore illius, (quàm ille vulneratus) eras. Amabas pauperes, ideò semper plus eguisti, nihil prorsus habuisti, tu in omnium pauperũ universitate mendicans. Exinde sicut es naturalis Dei Filius, sub accidentibus Panis in Altari Sacramentatus. Ita es Filius Dei mysticus sub persona pauperis, & pannis laceris.

Qui ergo dat pauperi Sacramentatus dicendꝰ, Christi etenim Domini induit viscera. Tu enim Domine cum omnibus doles, mendicas, quia amas, atque tam in cælo, quàm in tuis mẽbris, id est Electis, es: & quomodo, nisi quia anima plus est ubi amat, quàm ubi animat. O Domine tu scis quia amo te, plusquàm me, aut ergo redde mihi Spiritum, sensus, & animã, aut Cor meum à me repete, ut non ampliùs amoris flammis incensus, egere, & mendicari exardescam.

O anima mea si vis justitiam perfectam obtinere, in quantum prævales, accende in te ignẽ Divini amoris, nam si dulcedinẽ illius gustaveris, de temporali oblectatione non curabis; tantoq; ardentiùs justitiæ opera implebis, quantò ampliùs cælesti dilectione abundaveris, & tunc Deo suavissimum incensum adolebis, cùm cor

tuum eius pio ſanctoque amore flagraverit, animamque tuam Deo conſecraveris.

CAPVT XXVI.

Amans frequenter orat.

O Infælix & lapideum Cor meum, quis illuminabit & calefaciet te, & docebit Orationes non modo Iaculatorias, id eſt frequentes, ſeu horarias, quibus olim Eremitæ vel maximè utebantur, & in ſanctitate florebant. Sed etiam diuturnas, ſolidas, ut non me pigeat, etiam media nocte ſurgere, & quandoq; tota nocte orationibus vacare. Si etenim Vir ſecundùm Cor Dei Pſaltes Regius, *media nocte ſurgebat, quandoq; tota nocte orationibus vacabat, Confitendo nomini Domini; in dies verò, ut teſtatur, ſepties orabat.* Pſal. 118. Ecquid non decet nos miſeros peccatores facere. Oratio ſiquidem eſt confeſſio laudis Dei: Et imploratio gloriæ eius; Hæ etenim ferventes & frequentes fiunt Spiritus Sancti impulſu: juxta teſtimonium Apoſtoli dicentis. *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus: cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino Gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri* IESV *Chriſti Deo & Patri.*

In Pſalmis amore accenſi, hoc eſt enim Pſalterium decachordum, quod in oratione reſonat, quando anima alia atque alia concipit deſideria perficiendæ Divinæ voluntatis, & Amoris.

In hymnis, per admirationum & prædicationem Divinarum perfectionum, & operum mirabilium extra se, prout Seraphim & Herubim incessabili voce proclamant, Sanctus S. S. Dominus Deus Sabbaoth.

In Canticis Spiritualibus. Cum gaudio & exultatione, de divino bono in se, & quod glorificatur in cœlo & in terra illic per possessionem, hic per spem, & hic est Spiritus gratitudinis agere gratias pro beneficijs.

Et quisq; in Oratione considerare tenetur Deum præsentem, ad quem acceditur in Oratione, non passibus corporis, sed fide viua præsentiæ illius. Ille enim est tanquam Mare, qui nos circumdat undequaq;. Ille in nobis existens per præsentiam, Omnipotentiam, & Essentiam. Illũ exorabat Psaltes præsentem dicens. *Effundo in cõspectu eius Orationem meam & tribulationem meam, & ante illum pronuntio.* Iudit. 6.

Deinde habenda est profunda reverentia, uti Deo præsenti gestu corporis, & animi flexo poplite imitando exemplum Christi Domini. Qui preces supplicationesq; cum clamore valido, & lachrymis offerens, *exauditus est pro sua reuerentia.* Hæbr. 5.

Quod si Christus tam intensè oravit, Me miserum peccatorem quid convenit facere, quomodo affectus componendi, sensus, phantasia colligenda, ut sine distractione fiat Oratio, & sensuum evagatione. Ne cogar lamentari. *Cogita-*

tiones meæ dissipatæ sunt, & torquetur cor meum, & virtus mea dereliquit me. Iob.

Oratio enim debet esse maximè Cordis non labiorum, neq; enim verba deprecantis Deus intendit sed orantis Cor aspicit, melius est cum silentio orare corde sine sono vocis, quam solis verbis, sine intuitu mentis. Et quid enim prodest Spiritus labiorum ubi Cor mutum est; Sicut enim vox sinè modulatione, est quasi Vox pecorum, sic Oratio sine devotione, quasi mugitus boum.

Non immeritò quidam ad Orationem accedens, dicebat Domino. *Desidero te intimè frui, sed nequeo apprehendere. Opto inhærere cœlestibus, sed deprimunt me res temporales, & immortificatæ passiones. Mente omnibus rebus superesse volo, carni tamen invitè subesse cogor.* Sic ego homo infelix, mecum pugno, & factus sum mihi metipsi gravis, dum Spiritus sursum, & caro quærit esse deorsum.

O quid intus patior, dum mente cælestia tracto, & mox carnalium turba occurrit oranti. *Deus ne elongeris à me, neq; declines in ira à servo tuo. Fulgura corruscationē tuam & dissipa eas.* Emitte sagittas tuas, & conturbentur omnes phantasiæ inimici. Recollige sensus meos ad te, fac me oblivisci omnium mundanorum, da citò abijcere & contemnere phantasmata vitiorum succurre mihi æterna Veritas, ut nulla me moveat vanitas. Adveni cœlestis Suavitas, & fugiat à facie tua omnis impuritas. Ignosce quoq; mihi, & mise-

& misericorditer indulge, quoties præter te, aliud in Oratione revolvo. Confiteor etenim vere quia valdè distractè me habere consuevi. Nam ibi multoties non sum. ubi corporaliter sto, aut sedeo. sed ibi magis sum, quo cogitationibus feror. Ibi sum, ubi cogitatio mea est. Ibi est frequenter cogitatio mea, ubi est quod amo. Hoc mihi citò occurrit, quod naturaliter delectat, aut ex usu placet. O me miserum!

§ I.

Distractiones verò quæ nos sæpè interturbant proveniunt, aut à Dæmone impellente fructum Orationis, aut à phantasia, vaga, aut ab affectibus immortificatis, mentem ad se rapientibus, vel à curis sollicitantibus, animam, vel à remissione, ignavia, & defectu. Sed iuvādæ, ut & ariditas Spiritus per humilitatem: ex cognitione suæ infirmitatis, vel proposito firmo, non admittendi ullam cogitationem alienam, Conariq; debet orans, ut Exemplo Abrahæ, & velut ille aues à Sacrificijs depellebat (donec divinitus adiutus est) repellere. debet distractiones, & à se abdicare.

Deinde fiducia in Deum erigenda, cum ipse iubeat orare, dicatq; orans. Declinate à me maligni: Scrutabor enim mandata Dei mei. *Venite adoremus & procidamus, ploremusq; coram Domino qui fecit nos.* Psalm: 94.

Et maximè ante Orationem præpara animā tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.

Præte-

Præterea recolens peccata tua. De propitiato peccato noli esse sinè metu. Vtq; sicut fuit sensus noster, ut erraremus, à Domino; Decies tantùm iterum revertentes requiramus Dominum. Omnis enim perfectio in nobis, & profectus ex Oratione, lectione & meditatione.

Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere; nam cum oramus, ipsi Deo loquimur; Cum verò legimus, Deus nobiscum loquitur. § II.

Deinde tenemur nos obnixè humiliare. Ille etenim Deo veram Orationem exhibet, qui semetipsum cognoscit, quia pulvis est, humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit, qui bona quæ agit, de misericordia DEI conditoris ea esse agnoscit non sua.

Talis Oratio hem quam potens est & fortis! Nam in Oratione homo unitur Deo, & ab ipso tangitur.

Ideò tali Orationi nostræ promittit se Deus placabilem præstare & Oranti faciem suam ostendere dicens per Iob. *Deprecabitur Deum, & placabilis erit ei, & videbit faciem eius in iubilo.* Iob 33. & idest faciem Domini in exultatione, gaudio, & interna consolatione. Propterea Oratio nos facit similes Angelis, Seraphinis per ardentem amorem, Herubinis per scientiæ plenitudinem, Thronis per altissimam in Deo quietem, Dominationibus per dominium appetitus proprij. Potestatibus per imperium in Dæmones, virtutibus, per

admira-

admirabilium operationẽ, Archangelis per fortitudinem in arduis. Angelis per obedientiæ prõptitudinem. Deniq; omnibus Spiritibus cœlestibus per sanctitatem, & Sapientiam. Oratio est finis virtutum, per Orationem inhæretur Deo unione intima, eodem refertur, quicquid boni in vita agitur. Ibi Deus reddit centuplum pro ijs quæ ipsius causâ contẽpsimus, vel toleravimus, & arrham præbet vitæ æternæ.

Oratio detinet sua suauitate & dulcedine, Orantem in Oratione, Oratio est quædam adumbratio Regni cœlestis, sicut enim in cœlo omnes potentiæ animæ humanæ, circa Deum detinentur & occupantur, Ita & hic in exilio Oratio animam dulcedine cœlesti inebriat, & ad Orationem frequentandam allicit, & sine tædio detinet.

§. III.

Et maximè si præcedat, & subsequatur frequens meditatio, quæ parit scientiam orandi, Scientia Compunctionem, compunctio deuotionem, devotio verò perficit Orationem. O quã fœlices & beati, qui hoc Orationis studio detinentur. Deo enim adhærent, & unus Spiritus cum eo efficiuntur non modò intellectu voluntate, sed etiam vita & moribus.

In Oratione sensus humanus dum delectatur, etiam pascitur per gustum spiritualem. Cujus dulcedinem quis exprimere potest, ait Propheta. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Psalm. 83. Et quid est exultare, nisi

lætari;

lætari; & delectari in Domino. *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones Cordis tui.* Psalm. 36.

Præ hac dulcedine Spiritus, & Iugum Domini suaue, & onus leve, & quomodo svave. nisi exercitio virtutum, habet enim una quæq; virtus suam suauitatem & dulcedinem. quod ut alias Psaltes Regius Spiritu Domini illustratus declarat dicens. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Psalm. 30. O quid est magna? quid multitudo? dulcedinis! O quam fœlices, qui eam agnoscunt, degustāt & ea pascuntur. ablactantur & inebriantur. ab vbertate dulcedinis tuæ. idest à sensuū interiorū voluptatibus. Sed minùs est amanti in Oratione videre, gustare (prout nos in Venerabili Sacramento, dum accipimus, gustamus, suauitate pascimur, Christo Domino incorporamur, seu Christophori efficimur, accipientes pascimur. Si non detur & apprehendere & tenere rem & virtutem Sacramenti. In Oratione sæpiùs apparet & detinetur. sic tenuit eum Agnes de Politiano Catharina Senensis & alij pleriq; an non tenuit Sponsa dum dicit. *Tenui eum nec dimittam, donec introducam in domum Matris meæ.* Cantic. 3. an non tenuit. quæ orauit: *Osculetur me osculo oris sui* an non tenuit quæ dixit. *Leva eius sub capite, & dextera illius amplexabitur me.* An non tenuit & Iacob, qui eum non dimisit nisi benedictione obtenta. *Genes*: 35.

Propter Orationem necesse est, mortificare sensus

sensus exteriores ut participare possimus, de Interioribus. Vbi enim externus sensus clauditur, mox internus aperitur. Internus enim sensus dormit, si externus suis voluptatibus traditur & pascitur.

Taliter mortificabat sensus externos B. Ægidius, cum enim audisset Deum, aut cœlum cõmemorari, statim amore Dei pulsus eius intensius quam ante movebantur: nam ad Deum maiori amore afficiebatur. Sed non modo pulsus, sed & ipse totus instar columnæ immobilis stabat: Sursum Cor, mentem, oculos eleuabat, & penè sui oblitus, totus amorem spirabat. Omnes eius sensus exteriores claudebantur.

O fælix anima quæ potuit sensus externos sola mentione cælestium facta claudere, & in servitutem animi reducere.

O utinam taliter Cor, & animam meam cœlestia penetrare inflammare in Oratione possent: & Deo coniungere. O utinam & sensus meos exteriores refrenare & compescere liceret, & desuper concederetur.

§. IV.

O quàm potens apud Deum Oratio, & maximè eius, qui præsentē Deum mente recogitat, & cum timore ac tremore ad Orationem accedit. Qui stat in Oratione, tanquam Iudici assistens, & favorē Iudicis iusti cōciliare possit. Sine Oratione etenim, & afflictione Corporis nil à Deo obtinere possumꝰ: talis fuit oratio boni Viri Cor-

nelij

nelij adhuc Ethnici, qui Orationes, per singulas noctes diesq; DEO effundebat. Eapropter dictum est ei ab Angelo. *Orationes, & Eleëmosynæ tuæ ascenderunt in conspectum Dei*; nec mirum, Oratio siquidem humiliantis se penetrat cælum, & non descendit, donec altissimus aspiciat.

Quis laudibus celebrare sufficiat, potentiam Orationis S. Elisabethæ Reginæ, hæc etenim dum pro resipiscentia cuiusdam Adolescentis insolentis orasset. tanto fuit amore incensus, ut ter clamarit: Oro te Domina, per IESVM Christum ut ab Oratione desistas ne me precibus infaustè mori cogas, quem vitæ meliori destinasti. Ecce quanta efficacia Orationis illorum, qui præmisso Ieiunio & Eleëmosyna Deum exorât.

Eandem Orationis potentiam, & Isaias Propheta Achaz Regi intimavit dicens. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum Inferni, siue in excelsum supra: & dixit Achaz, non petam & non tentabo Dominum*, Hæbreus legit, & non fatigabo Dominum.

§. V.

Necessaria est fervens Oratio non modo Laicis & simplicioribus, maximè verò Sacris Initiatis; quis enim nostrum sine peccato. Hi etenim tenentur ex Officio pro populo, Divinam Maiestatem exorare quia de Patrimonio Christi vivunt. Panem pauperum, & pro peccatis oblatum manducant.

Tenentur & altaria suis peccatis polluta, iuxta mandatũ Dñi emundare. *Exod*: 30. Et depræcabitur

bitur Aaron super cornua Altaris semel per annum in sanguine, quod Oblatum est pro peccato, & placabit super eo, in generationibus suis. Sed quid peccavit Altare, ut sangvinis expiatione indigeat? nisi quia contagiosa sunt peccata valdè, ut non solùm contaminent homines, verùm etiam & Sancta Dei. Nam quæcunq; tangit peccator, (etiamsi Sacerdos) immunda reddit.

Et omnis Sacerdos ex hominibus assumptus est, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis populi, & pro semetipso, quia & ipse circumdatus est infirmitate.

Et ipsa Sacerdotis perfectio urget, ut per Orationem & amorem quisq; adhæreat Deo, & vnus Spiritus eum illo efficiatur, non modo unione intellectûs, & voluntatis, sed etiam vitæ, & morum.

Intellectu Deum intra nos portamus, memoria tanquam hospitio excipientes, & cogitati one plena, ut paulatim intellectus viva imago & vivum exemplar sit Dei. Volũtate autem anima à seipsa quasi egressa, intellectu cognitam veritatem amplectitur, amat, in ea cõplacet, fortiter stringit, deinde affectus, desideria, & intentiones format, & delectatur.

Vita & moribus fit unio: quæ fundata est in perfecta conformitate Divinæ voluntatis & talibus dicitur. *Estote perfecti sicut & Pater vester, qui in cœlis est.* Matth. 5. Eum imitando. Et maximè cognoscendo eum speculativè & Practicè:

Speculativus modus procedit, à naturali intelle-ctu, per fidem illustrato, dum Dei perfectiones speculamur, per speculum Creaturarū & S. Scripturæ Practicus verò à dono Spiritus S. quæ Sapientia dicitur, fundatur autem in experientijs admirandis, quas sentibus ex illustrationibus, cœlestibus, affectibus internis amoris Dei dum gustamus & videmus speculando, quam suauis est Dominus.

Deum verò nosse consummata est iustitia, & radix immortalitatis: quia Vita immortalis ex æterni Dei cognitione procedit. Propterea contendere oportet scire. Quæ sit voluntas Dei obna, perfecta & beneplacens.

Quapropter ô Deus vita mea! exurge, & ad iuva me, & concede ut Cor meum initet semper in Oratione novis amoris productionibus! qui enim in via amoris non proficit: deficit.

O DEVS! da mihi te amare comparativè, vt nullus in Corde meo maximè tempore Orationis pateat locus, alijs distractionibus!

O DEVS & amor meus! da mihi te amare appretiativè, ut conglutinetur Cor meum voluntati tuæ, non modo amore naturali, Concupiscentiæ, sed etiam amicitiæ!

Da mihi ut tempore Orationis sim velut alter Angelus cælestis! & concede, ut Oratio mea sit sancta & pu a, & immaculata, & irrepræhensibilis, ut cum illam sursum ascendere viderint portæ cœlestes, gaudentes ultrò aperiant ei, & ipsam

cernen-

cernentes Angeli lætantes cuncti illi occurant, & coram Sanctis, atq; excelso throno immaculati Dei ipsam offerant Sic ergo semper Orationis hora esto Deo coniunctus ut Cherubim & Seraphim.

O amantissime Domine, ad te levavi animam meam, emitte ignem amoris de cœlis, de sede Maiestatis tuæ,& vre ac illumina omnia præcordia mea ad Orationem assiduam, & suspiria.

O lumen cœli, interluceat oculis mentis meæ radius desuper à facie luminis tui & lætificet omnia ossa mea. O si perficeretur in me auge quæso quod interlucet, dilatetur obsecro dilatetur, ex te hoc lumen quod calefacit Cor meum, & irradiat animam meam, etsi semper maximè tempore Orationis. Oratio siquidem est Orantibus subsidium, DEO Sacrificium Dæmonis flagellum.

Oratio eis qui rectè orant Curia & iudicum tribunal ante futurum tribunal est Divinas sententias etiam promulgatas ut super Ezechiam Regem reuocat. Sic & Lamech pœnam euasit, propter peccati Cōfessionem & contra se ferens sententiam, evasit sententiam Divinam.

CAPVT XXVII.

Amantis Oratio.

LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea. O Deus meus ecquis æstu-

anti Cordi meo, ut ante obitum voto potiatur suo, possitq; explere desiderium suum te assiduè laudando, præstabit? Quis mihi hoc tribuet, ut in vita mea dignis deprædicem laudibus Dominum Maiestatis immensæ, quem unicè amat anima mea? utinam Deus meus ex corde meo tot proficiscerentur, ac resonarent suauissimæ tuæ laudis melodiæ, quot unquam crepuere instrumenta. & quot sunt graminum herbulæ, & in tui conspectum penetrarent, tamq; inaudita priùs ac iucunda tui laus ex meo prorumperet pectore, ut oculis esset gratissima, & totam cœlestium Civium frequentiam exhilararet.

Indignus quidem sum Domine qui te laudem, sed valde indigus vehementer enim appetit anima mea, ut te prædicet, teq; laude afficiat ipsum cælum. Certè quoties tam sublimis laudis tuæ mihi subit cogitatio, possem mi Domine totus animo colliquescere, siquidem cogitationibus destituor, verba mihi deficiunt, & omnis sum modi expers. Lucet namq; & resplendet, quippiam in Corde meo, quod nemo possit verbis exprimere, quum te laudere instituo, qui es bonum prorsus modi nescium.

Quod si ad præclarissimas & elegantissimas Creaturas me conferam. Si summos Spiritus & purissimas substantias considerem hæc omnia ineffabiliter excedis.

Quod si in abyssum ipsum me recipiam ingenitæ ac inexhaustæ bonitatis tuæ, ibi planè deficit laus omnis, præ sui exilitate.

Si mecum reputem, te omni laude dignissimum, prorsus obmutesco, nec verba reperio. Si denique considero te tam præcipuum, & omni laude dignissimum bonum, animam meam sibi unice chari, atq; amantissimi loco amici delegisse, iam revera possit præ tui laude deficere Cor meum & crepare.

Attentis ergo mi Dñe intimis hisce Cordis & animæ meæ votis ac desiderijs, doceme laudib⁹ te efferre, & prædicare, doce me inquàm, dignis te celebrare præconijs, antequã hinc emigrem. Id enim comprimis sitit & desiderat anima mea.

Doce me iam abyssus multa, qui dixisti misero. *Infrenabo in laude meâ ne intereas.* Et *Rectos decet collaudatio.* Isaiæ 48.

Doce me miserum vermiculum extremæ vilitatis, te laudandi ardentem desiderio, quomodo laudabo te?

Nam quicunq; ad laudandum te sine præparatione accedit, is blasphemat, ventum insequitur, & umbram amplecti molitur.

Ille te verè Deum laudat, qui in omnibus Deum spectat, & intendit, sibiq; cauet à peccatis, nauatq; virtutibus operam, Talis nunquã Deum laudare desinit.

Præterea animus à vitijs repurgatus & exoneratus ex ingenita sibi nobilitate Spiritualium meditationum fretus adminiculis, dum in cœlestia erigitur & attollitur, ille semper Deum laudat, ita laudavit Sysoyus, qui in superna ra-

piebatur mente. Præterea animus cuiusquã à visibilium omnium cupiditatibus absolutus, & in quadam tranquillitate cõstitutus, ita,ut eius omnis inventio bono incommutabili continenter & inseparabiliter adhærescat, & ijs Te Deum perpetuò laudat,

In ea namq; puritate existit quæ verbis explicari nequaquam potest, & sensus humanus ita absorbetur, ac ex terrestri in Spiritualem atque Angelicam transfertur similitudinem, & quicquid foris vel intus accipiat. quicquid agit & operatur, siue bibat siue comedat, dormiat, vigilet, hæc omnia nonnisi purissima quædam Dei laus sunt.

Qui, etiamsi, brevi saltem morula à tui laude se averterit, & rebus terrenis occupatus adhærescat, nec tibi intentus sit dum ad se redit, quam tristi & lamentabili voce seipsum alloquitur, & suscitat. Heu me miserum? mille anni iam præterlapsi sunt, heu quam multi dies & tempora effluxerunt, quo ne semel Dilectissimi mei memor fuerim. Ecce quomodo anxiatur Cor meum, & morula temporis in angustias & mærorem convertitur. Iam ergo abhinc oblivioni detur dextera mea, si oblitus fuero tui Creator & Redemptor meus. Iam sæpiùs me suscitabo. dicens ; *Si dormiero quando resurgam? & rursum expectabo vesperam.* Iob. 7. O si S. Iob inter fructum operis & somnum Contemplationis graviter æstuabat. & in bonis semper versatus

semper

ſemper tamen quaſi de malis pœnitentiam agebat. Eheu quid me miſerum facere oportet?

Amor Cordis mei urget me continuò tuis laudibus inhærere, & meditationibus, ut non extingvatur & frigeſcat ſpiritus amoris mei.

Quocirca doce me ô Veritas ſumma, dum adhuc Corpus & anima ſibi cohærent, qua ratione perpetuam, ac ne ad momentum quidem deficientem, tui laudem celebrare valeam,

Et cum quandoq; natura ſe inſinuat & exoptat videri, doce me quomodo cognoſcam & diſcernam naturam à gratia, & gratiam à natura, cum naturaliter nullo modo & arte fieri poſſit, & maximè dum ſervoris, hilaritatis, & dulcedinis plena fuerit Oratio. A natura an à Gratia, à Corpore an à Spiritu procedat? ne miſer decipiar! Sed ſcio quid faciam, intrò me anxiùs recipiam, & ad te Deum conuertam, ut in tua laude finiat & conſummetur.

Tu namq; Deus es autor naturæ, & gratiæ, atq; hoc pacto natura mihi fiet ſupra naturam, & in gratiam commutabitur, nam Gratia perficiet naturam ſordet natura ſine gratia.

Hæc etenim laus temporaria, Cor, animam, & totum Spiritū meum ad perennes, nunquā defituras tui laudes excitat, admonet & provocat.

Aſt quando ô piiſſime IESV ſerenus ille illuceſcet dies, & optatiſſima adueniet hora, qua perfectè præparatus, ex hoc miſerabili exilio proficiſcar, ad te dulciſſimum Dominum meum

tui Contemplatione iucundissima perenniter fru-iturus, teq; laudaturus in ævum. Certè mi Domine magno crucior desiderio, atq; avidè aspiro, & inhio tibi, unico Cordis mei gaudio. O quando ad te perveniam? Eheu quàm longa intercedit mora? quàm nimis differtur ac procrastinatur tempus illud, quo Cordis mei præcipuam, ac summam voluptatem facie ad faciem contuear, eaq; pro cordis desiderio quantumlibet perfruar. O exilium quàm miserum es, & calamitosum ijs, qui se revera exules gerunt. Pauci quidem in terris degunt mi Domine, qui non habent aliquem cui studeant, quem spectent, & diligant, quiq; non aliquo nitantur adminiculo in quo interdum vel parum acquiescant. Atqui unica Cordis mei lætitia IESV pijssime tu es solus; quem spectat, inquirit, & appetit anima mea, satis superq; perspicuum habes, me tibi vni esse derelictũ. Quicquid enim vel oculis occurrit meis, in quo te non reperiam, non mediocriter me affligit & cruciat.

Mortalium enim præsentia, nisi tui causa, molesta, & peracerba mihi est. Quid igitur me in hoc exilio degentem exhilarabit, aut quo interim animum solabor meum? nisi in hoc amœnissimo ferventis ac devotæ laudis tuæ Paradiso deambulabo, & exspatiabor. Nullum enim veriùs ac certiùs est sempiternæ beatitudinis præludium, quam te DEVM in hac vita fidenti ac hilari animo laudare. Nihil æquè hominis mentem

rem illustrat, nihil afflictiones & Cruces adeò mitigat & relevat, nil ita animi tristitiam & molestias abstergit ac abigit, ut jucunda laus Dei.

Huic quisquis sedulùs imcũbit, illi Deus propè adest, Angeli se ei familiares exhibent, sibiipsi comprimis utilis est, proximos ædificat, animas in pœnis detentas gaudio afficit, denique totam cælestis patriæ frequentiam alacri ac strenua Dei laude honorat. Quocirca ô Domine exopto animitùs, ut cùm oculos manè primùm patefacio, simul etiam Cor sese meum aperiat, atq; ex ipso fragrantissima ac amœnissima laudis tuæ flamma emergat, sursumq; feratur cum ferventissimo amore Cordis, te præ cunctis hominibus, etiamnum in terra degentibus, & præcipuè diligentibus: ut cum supremi Seraphici Spiritus ardentissima flamma, te in beata æternitate omnium sine fine amantium dilectione, atq; cum illa denique inexhausta ac immensa charitate, quâ Pater cælestis te unicum, eumq; charissimũ amplectitur filium suum, per amorem suavissimũ Spiritus sancti ex Patre & Filio procedentis, amor laudis conjungatur meæ.

Peto etiam Domine te, ut cum hæc eadem amoris flamma tam suavis erumpat laudis tuæ odor, & fragrantia, quàm possit esse selectissimorum ac potissimorum aromatum, & herbarũ, ac virtutum omnium, non quarũlibet, sed quæ omnes suos numeros habeant, ac perfectissimæ sint, si eadem in pulveres redacta mittantur in

ignem suffitus excitandi gratiâ. Denique hoc etiam cupio ac desidero, ut huius laudis adspect⁹ tam sit jucundus, & amœnus per gratiam ut nullius unquam, quantumvis vernantis & floridi Maij amœnitas illi possit æquiparari: atq; ea re tum Divinis obtutibus tuis, tum omni cælestiũ Civium multitudini mirificam ingerat voluptatem.

Optoque ut eadem amoris flamma, perpetuo magna vi erumpat, sursumq; tendat, in cunctis precibus meis, quas ore fudero in Oratione, meditatione, psalmodia, verbis & factis, adeò efficax ut in fugam vertat omnes hostes meos, visibiles & invisibiles; Cunctos aboleat, & in nihilum redigat, defectus & culpas meas. Gratiã impetret, & veniam, sanctumq; & felicem obtineat vitæ terminum: qui sit laudis huius temporariæ finis, & clausula: Et initiũ laudis perpetuo & in ævum duraturæ.

O Deus meus, exoro te miser quousque vixero, mitte quotidie & in horas singulas de cælis de sede magnitudinis tuæ Spiritum Sapientiæ, & pietatis, ut mecum sit, mecum laboret, ut sciam, quid tibi acceptum sit, omni tempore, maximè in Oratione mea. Oratio siquidem dicitur à Climaco. Infinita Operatio & in qualitate sua. Est Conjunctio Dei & hominis, secundùm actionem verò, est mundi constantia, lachrymarum mater, tentationis pons, omnium tribulationum impositus paries.

Qui

Qui libenter & ardenter vacant Orationi, hi portant Orbem & resistunt iræ Dei; neque tantùm Reges mundum regunt, & Angeli moventes Orbem, sicut Orantes. ita potenter oravit Ieremias, cui dictum à te Deo. *Noli orare, nec assumas pro eis laudem, & ne obsistas mihi.* Ierem: 7. Similiter & Moysi oranti pro populo dictum. *Dimitte me ut irascatur furor meus.* Exod. 32. O Domine qui dixisti: *Petite & accipietis.* Exaudi orationẽ meam & clamor meus ad te perveniat: & da petitionis meæ effectum, id est Amorem tuum impetrare constantem, insatiabilem, ac immotum, ut non me ultra, (pigrum) occidant desideria vana.

CAPVT XXVIII.

Amor est vnitiuus.

POne me ut signaculum super brachium tuum Dilecte mi. Cant. 8. ut anima mea tibi uniatur, non unione Cordis, generali & abstracta, aut etiam permanenti, ut in nobis per modum habitus, tam in dormientibus, quàm & vigilantibus, sed Vnione quæ fit interveniente actione: hæc est enim non postremum dilectionis exercitiũ; Id est Vnione arcta, & indissolubili, quæ vocatur inhæsio seu adhæsio, quâ hæret capta anima, annexa, adglutinata quasi, & affixa tuæ Divinæ Majestati, eo modo ut unus Spiritus tecum efficiatur.

ciatur, nec ampliùs à te recedere & separari possit. Hanc à te peto unionem mihi concedi, & ad illam recipi percupio, quia tu es fons & autor semper omnis Vnionis, sive sit perceptibilis, sive non, & nemo potest se tibi unire, sive arctè ad te pervenire, nisi à te trahatur. *Nemo enim potest ad te venire, nisi eum traxerit Pater*, Ioann: 6. Quod ipsum & Sponsa tua cælestis indigitans se, à te trahi petijt. *Trahe me post te in odorem vnguentorum tuorum curremus*. Cant. 1. O Dilecte mi, vide & considera quanto amore urgeor, ut tibi uniar. Vtinam etiam anima coacta, affectuum & desideriorum stimulis, Vnionem tuam appetat. Vtinam cogant & te affectus mei, instar Discipulorum in Emaus, ut mâneas in me per Vnionem, & ponas me sicut signaculum Vnionis super brachium tuum. Vide Domine quomodo Vnionem tuam exopto, quia tu es Centrũ Cordis & Amoris mei, idcircò Cor meum inquietum est ad te, & continuo se se tibi, etiam per insensibilis Vnionis progressum deprimit, usque dum totum sit immersum in te Deo, & hoc ratione sanctæ inclinationis, quàm Amor ei ad se magis ac magis uniendum summæ bonitati tuæ indidit.

Verùm non tali unione qualis erat Martialis infantis, quem tu in mânibus tuis tenere dignatus es. neque unione qualis erat Simeonis justi, qui te accipiens in ulnas, Canticum. *Nunc dimittis servum tuum Domine*, Luc. 2. in pace exivit. Neque ut Iacob dilecti tui, qui te tenuit, ut ei benedictio-

ctionem impertireris : & hac accepta dimitte-re paratus. Sed unione qualis erat tum Pauli, quando clamabat: *Confixus sum Christo.* Galat: 2. Vel etiam tali quali anima Ionathæ conglutinata erat animæ David, qua dilexerat eum quasi animam suam. Tali unione Sunamitis unita dimittere te nolebat dicens: *Tenui eum nec dimittam.* Hæc enim unio erat pura & fortis, quæ eam deferebat ad unionem summi boni. Non enim illa ob benedionem uniri, aut alium respectum voluit: sed Deum benedictionũ concupivit unione purâ Multi enim tibi uniri desiderant ut te audiant, ungant, à te consolentur, à te pascantur, miracula videant, sanitatem ut Hemoroissa, peccatorum remissionem ut Magdalena impetrent, Magi ut adorent, & munera offerant, obsequia præstent, Thomas ad incredulitatem superandam.

Recordare ô Domine quod Amor sit vinculum, ergo me magis ac magis abundanti charitate stringat, ut victus, & devictus tibi uniar tam forti unione, & arcta, ut nunquam eam dimittam: aut ab ea dimitti petam Recordare quod Amor virtus unitiva; vivificans, constringens, colligens, & referens res omnes ad unitatem, Ergo jam sentiam unionis illicia imperceptibilia, & sequi, ac me tibi unire incipiam. promoveat, & præveniat, constringat tua sancta Vnio etiamsi insensibiliter modo intrantem & penetrantem Cor meum, per incomparabilem

suavi-

suavitatem sentiam. Sentiam, sentiam tam forté ut me attrahat insensibiliter adjuvet, promoveat, & ad eam perfectionem adducat, quæ teneat tibi affixũ, & inde abstrahi aut nunquam, aut nisi magna vi, nec sine dolore possim. Teneat me fortiter ut si divertatur imaginatio affixa sit intellectui, quod si etiam hic abstrahatur conglutinata adhæreat voluntati, desideret esse libera, ab omni exteriori occupatione, & in interiori tecum commorari: imò fiat mea unio instar raptus, vel suspensionis animæ si fuerit brevis, quod si productior sit Extasis.

O Dilecte mi, quando anima mea experietur suaviter attrahentem tuam unionem? Ecce arctiore, constrictiore, & intensiore Cordis suspiratione, ad te aspirat, desiderat, ut eam fortiùs ac fortiùs in Cor tuum attrahas magnes æterne, utq; eam abyssus tuæ dulcedinis absorbeat, præ angustia Spiritus gementem. *Sap: 5.*

CAPVT XXIX.

Quam amarum post gustatas cælestes dulcedines ad terrena descẽdere.

QVid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terrã? * imò verò quid mihi est in cœlo, ubi est Sanctissima Trinitas unus Deus, merces mea magna nimis, ubi requies, & regnum æternum. Vbi beatissimorum Spirituum myriades,

* Psal. 72.

riades, gaudium, lætitia & exultatio Sanctorũ. Hem quid mihi est in cælo? quanta bonorum affluentia? voluptas, lætitia, ac deliciæ, ubi gaudium est plenum, & plus quàm plenum, nam pleno corde, plena mente, plena anima, toto homine supra modum supererit illud gaudium. Gaudium quod non intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabũt in gaudium Domini sui. O quantum est hoc gaudium in quo gaudebunt Sancti tui. utique tantùm gaudebunt, quantùm amabunt, tantùm amabunt, quantùm te cognoscent. O quid mihi est in cælo? ò quantũ gaudium? ubi sonant semper melliflua hymnorum organa, suavissimæ Angelorum melodiæ, Cantica canticorum mira quæ ad laudem & gloriam tuam à supernis Civibus decantantur.

Hem quandoquidẽ tam multa & magna sunt mihi in cœlo, quid ergo à te volui super terram. heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est? cùm sit summa miseria post affluentes cœlestiũ delitiarum abyssos, in hoc exilio versari, summa infelicitas hoc corpusculi tetro carcere detineri.

Quid mirum? si Salvianus Abbas dum è vivis migrasset, & post degustata Paradisi gaudia ad vitam ablegatus manibus in cœlum sublatis clamarit? O Domine misericors, quid fecisti mihi? ut me in hunc tenebrosum mundanæ habitationis locum redire permitteres. cùm mihi multò melior esset in Cœlo tua misericordia, quàm sæculi huius nequissima vita. Et surgens

de pheretro triduo absq; cibi & potus alimento
perstiterit? & pòst cõvocatis Monachis & matre
dixerit. Audite ô dilectissimi & intelligite, quia
nihil est quod cernitis in hoc mũdo, sed sunt jux-
ta id quod Salomõ Propheta cecinit. *Omnia vani-
tas.* Eccl. 1. imò ille est felix, qui ea agit in mũdo
ut gloriã Dei cernere mereatur in cælo. Insuper
interrogatus visionẽ quam viderit? sed ut mirifi-
cam voce flebili exposuit dicens. *In Vitis Patr.*
Cùm me ante hos quatuor dies contremiscente
cellula exanimem vidistis, apprehensus à duobus
Angelis in cælorum excelsa sublatus sum, ita ut
non solum hoc squalidum sæculum, verùm etiam
Solem, Lunam, & nubes ac Sydera sub pedibus
habere me putarem. Deinde per portam luce
ista clariorem introductus sum in illud habita-
culum, in quo omne pavimentum erat quasi au-
reum, argenteũq; fulgidissimum, lux ineffabilis
amplitudo inenarrabilis, quam ita multitudo
promiscui sexus obtexerat, ut longitudo ac lati-
tudo catervæ prorsus provideri non posset. Ecce
ibi etiam me peccatorem salutabant humiliter
viri in veste Sacerdotali ac sæculari, quo
mihi duo Angeli, qui præcedebant enarrave-
runt esse Martyres ac Confessores, quos ibi sum-
mo excolebant famulatu Stans igitur in loco
ubi jussus sum, operuit me odor nimiæ suavita-
tis, ita ut hac suavitate refectus, nullum adhuc
cibum, potumque desiderem, & audivi vocem
dicentem. *Revertatur hic in sæculum, quoniam*
ness

cessarius est Ecclesijs nostris. Ego interim prostratus super pavimentum cum fletu dicebã: Heu, heu Domine Deus, cur mihi hæc ostendisti, si his fraudandus eram, ecce hodie eijcis me à facie tua ut revertar ad sæculum fragile, & huc ultra redire non valeam. Ne quæso Domine, auferas misericordiam tuam à me: sed deprecor ut permittas me hîc habitare, ne illuc decidens peream. Et ait vox, quæ loquebatur mihi: *Vade in pace, ego enim sum Custos tuus, donec reducam te in hunc locum.* O si hic Sanctus degustatis gaudijs paradisi, redire ad vitam mortalem noluit, imò ibi detineri cum fletu petijt: quibus vocib9, quali affectu & fletu ego exul, viator, miser peccator clamabo, clamabo vermiculus anhelando langvens ô Deus vita mea, da mihi gustare hanc suavitatem interminabilem cælestem, da gustare ut in dies magis ac magis desiderem, *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Psal. 30.

CAPVT XXX.

Amor mirificus.

NImis honorati sunt amici tui Deus, nimis cõfortatus est Principat9 eorum qui te diligunt. Psal. 138. Nulla res enim nobis ex creaturis ostendit clariùs Maiestatem tuam Domine quàm Amor. Arcana vis illius, & miro artificio fabricata, plena artis & ingenij, arguta artificis manu elaborata.

Magnus tuus labor, Amor. amplectitur contra-ria, antiqua & nova, antiqua nova facit, & nova antiqua. Negotiosus est dum otiatur, quiescit in amato, & solicitus est, timet sperando, exasperat mulcendo, torquet delectando. perspicax & cæcus. Amor timor animosus, inquieta quies, placida fatigatio animi, pondus levissimum, machinula ingeniosissima, & investigabili Labyrintho non absimilis: ubi homines dulci vestigio perducuntur, erroribus diversissimis.

Amoris tanta vis, ut plus valeat unus actus eius, quàm mille mortificationes, & disciplinæ. Plus lucratur amoris suspirium, quàm longissimæ peregrinationes. Plus valet te Deum amare quàm totum Psalterium recitare, & quàm mille eleëmosinas largiri, aut etiam arcana mysteria nuntiare, & errantibus salutis viam demonstrare. Plus valet Parentum Amor ut proximorum ob Amorem Dei, quàm naturalis. O quam potens & efficax amor. Insuper unus Actus omnia peccata ut Magdalenæ dimittit. Sine tuo amore nihil sumus, per amorem beati evadimus. Tu siquidem ideò nos amas, ut ameris sciens nos ipso amore fore beatos, qui te amaverint. Amorem à nobis exigis, non utique aliquem fructum sui causa percepturus, sed amore ipso nobis pro futuro: nam dum te amamus benedictioné tuã & benignitaté per meritum amoris, consequimur.

Scio equidem in amoribus humanis mendacio amoris rei amatæ bonitatem augeri, crescente dilectione, & bonitatem rei crescere

Sed creati Amoris vitium, est, qui cœcus plura videt, quàm sint videnda in Persona amata, Istorum sunt lippientes oculi, multiplicant objecta, singularis lucerna multiplex eis est, vis amoris perversitates transformat in probitates, deformes pueri Parentibꝰ pulchri, obcæcat enim eorum mentem & oculos res amata, unde ab æstimatione, & eloquio, valdè excrescit.

Tuus verò cœlestis tàm pretiosus tàm sanctus, ut minimus eius actus velut granum Sinapi sursum excrescit, *Luc.* 13. ut non modò acies cæli, id est, Angelos; sed etiam teipsum in Corde amantis inhabitare faciat.

Figura Amoris Obulus paupercula vetulæ in Gazophilacio repositus ac oblatus, *Luca* 23. qui magnæ quantitatis divitum non tantùm exæquavit, sed & superavit, nummos: & cur? & quomodo?

Amor siquidem est summa actionum bonarum, salus morum, finis cælestium præceptorũ, mors criminum, nerma & vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, causa bonorum meritorum, præmium perfectorum.

Amor in peccatis mortuos suscitat, langventes sanat, perditos instruit, desperatis spem inspirat, pacificas mentes inhabitat. Tanta eius virtus, sine qua nemo Deo placuit, cum qua nullus peccare potest, fructuosa in pœnitentibus, læta in perseverantibus, victoriosa in Martyribus, operosa in omnibus fidelibus. O quàm

pretiosus, amabilis, amor tuus, tu es enim ipse Amor, dulcedo, & excessus amoris.

Eheu! quis mihi igitur dabit, supereminentem Charitatem tuam scire, quæ est ex omni parte infinita, illa etenim Divinã sapit naturam, ideò etiam dicitur Præceptum novum & antiquum. Charitas non veterascit, ideò secum quandam novitatem trahit: non enim tempore metitur, sed semper in novitate integra. Vetera ad novitatem reducit, veteres homines novitate Spiritus imbuit. Propterea magnum Præceptum dicitur, non enim solùm in naturali Lege, scripta, sed & Gratiæ implendum. Omnes virtutes, Morales, Cardinales insuper & Theologicas supergreditur. Ante Angelorum creationem non erat Fides, Spes, sed sola Charitas. Vixisti Creator optime & maxime in Amore tuo, dilexisti omnes creaturas creandas, nã sicut causa diligit naturaliter suum effectum, & Mater filium; ita tu creaturas diligebas dilig & diliges. Amor caret principio, fine, & modo, ideò ab æterno dilexisti creaturas omnes creandas, futuras, tanquam præsentes in te, teipsum perfectè diligens. Post diem Iudicij cessabit tempus, & motus cælorum, ast Amor non cessabit. Cessabit Fides, & Spes: Charitas verò manebit, quia maior est horum *Corint: 13.*

Et ideò quodammodo infinita dicenda est, excelsior cœlo, profundior Inferno, longior terra, latior mari; & quæ eius magnitudo? O qui

Angelo-

Angelorum sumpta mensura aurea, eius magnitudinem metietur & monstrabit. Si magna est sphæra terræ, maior aquæ, aëris, Ignis, cælorũ, & consequenter usq; ad primum mobile, & Empyreum cœlum, sed maior Amoris. Pleni sunt cœli & terra gloria præ amore tuo. & ideò rectè diceris magnus Dominus & laudabilis nimis quia magnus & inexhaustus thesaurus Amoris tui. qui Amatores suos Magnos Gregorios, Basilios, Alexandris & Pompeijs maiores efficis: nam non modò cogitari, sed nec in Cor hominis ascendere potest, quæ tu Deus diligentibus te præparasti. Roman: 8.

Et adeò est magnus, ut quasi non capiat suæ propriæ durationis angustias, in ampliorem durationem æternam latè se infert, & in longius ævum, se extendit amplissimè & dici possit. Amor caret tempore, non quod in aliqua duratione non fiat, sed quod aliquod non duret tempus, neque aliqua est creatura, quæ suum non habeat tempus, Esai 27.

O quàm magnus igitur est Amor tuus, qui magnus sine quantitate, bonus sine qualitate. Iure dicendus inexhaustum pelagus, & incõprehensibile, infinitum & magnum chaos, magnitudinis enim eius non est finis. Ideò etiã quotidiè Cor meũ ad te clamat: *Viam mandatorũ tuorum cucurri, cùm dilatasti Cor meũ.* Ps. 32. id est occupasti, amore succendisti, penetrasti, necnon & costas mei pectoris, ut S. Philippi Nerij, extendisti;

difti; ita ut non modo amorem tuum univocum, æquivocum, ſed etiam contrarium ſi dicere licet comprehendat, ſeu includat.

An non contraria hæc ſunt Amoris mandata? *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* Eſdræ 9. & alibi. *Non eſt currentis, neq; volentis, ſed Dei miſerantis.* ad Rom: 9. *Deus reddet unicuique ſecundùm opera ſua.* Matth: 16. & alibi. *Deus eſt qui operatur in nobis velle & poſſe, pro bona voluntate ſua.* ad Philip. 13. *Appropinquate ad Dominum, & appropinquabit vobis,* Eccl. 4. *Et nemo venit ad me, niſi eum traxerit Pater meus.* Ioan: 6. *Facite vobis Cor novum* Eccl. 20. *Et, dabo vobis Cor novum & auferam lapideum.* Ezech. 19. *Lavamini & mundi eſtote,* Iſai. 1. Et, *Lavabis me & ſuper nivem dealbabor.* Pſal 50. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Pſal. 12. *Et, illuminate vos lumine intelligentiæ.* Sapien: 6. *Convertimini & venite.* Iſaiæ 1. *Converte me & convertar* Ierem: 31.

Ecce hæc, & his ſimilia contraria? & quomodo? unita inter ſe eſſe poſſunt; niſi, quia eadem unita ſunt unitertio. id eſt Amori tuo. ideò etiam unita inter ſe, & unum ſunt. quia à tuo beneplacito, uti fonte cæleſti proficiſcuntur. id eſt Gratia prima ſeu Excitans, quam nemo per ſe meretur. & Gratia adjuvans ſeu efficax. Entitate ſua ſeu quidditativè duo eſſe videtur, ſed quia à te uti fonte ſeu eſſentia profluunt unum ſunt. Et, *Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum* Roman: 8.

CAP.

CAPVT XXXI.

Amans particeps Regni Dei.

SI dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Amor etenim tuus Domine regnum tuum intra nos eſt. Regnum Dei jam poſſidet quiſquis in charitate manet, & jam in te & tecum manet, & tu Deus in illo. In Regno Dei fuit qui dixit. *Noſtra converſatio in cælis eſt.* Philipp: 3. Et quomodo in cælis, niſi quia Anima amans extra ſe vivit, ſecedit, & excedit à corporis ſenſibus, ut ſeſe nō ſentiat, quæ Deum ſentit, unde fit ut mens ineffabili tua illecta dulcedine quodāmodo ſe ſibi furatur, imò rapitur, atque elabitur à ſeipſa. Excedit è corpore, ex hoc mundo, ex his phantaſmatibus, ut Deo fruatur ad jucunditatem. Idcirco anima amans plus eſt ubi amat, quàm ubi animat: id eſt quaſi in quodam Regno regnat. In Regno Dei non eſt requies, quia nunquā ceſſant Angeli, & animæ beatæ te Deum amare & laudare. Similiter & in terris amanti non eſt requies, quia ſemper quærit, de eo cogitat quem deſiderat anima amans. In cælum ſemper meditatione, & contemplatione compunctione aſcendit, & tuam ô Deus pulchritudinem contēplatur. O quanta, & quàm pretioſa ac potens res eſt Amor. O amor, ſi ſcirem quanti va-

les, pretium pro te appenderē. Sed ut video excedis angustias meas, nec invenire potero pretium tuum apud me: dabo tamen quod habeo, & totum quod habeo; & tota domus meæ substantia te comparabo. Et cum totū dedero, quasi nihil id reputabo. Omnes jucunditates cordis mei, omnes delectationes animæ meæ propter te lubenter impendam, ut te solum possidere valeam, tu solus mihi præ omnibus quo clarior, suavior, jucundior, eo etiam amplius desiderabilior: quia tu es Regnum Dei, & tuum Regnum, & sine te nemo potest intrare in Regnū Dei. Et abhinc in cælum ad Regnum tuū cordetenus aspiciens clamabo. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria tua.* Psal: 83. quàm etenim chara, amabilis, plena dulcedinis ineffabilis tota Cœlestis Civitas, & quàm pulchra, quæ architectonicæ peritiæ te autorem ostendit. Ibi enim in Regno tuo clementissimum est cælum splendidissimus Sol, aër saluberrim⁹, amœnitas hortorum sempiterna, & quicquid gaudia cumulare potest, præsentissima tua pulchritudine ac dulcissimo consortio affluit. Totum Regnum domus cœlestis Choris Angelorum sapientissimorum, optimorum, potentissimorum, pulcherrimorum repleta, quorum vel unus sensus meos lætificare sufficit; si cum decore suo naturali appareret. Ast superat totum fulgorem Angelorum tuus splendor in quo pascitur, in quo im-
pingva-

pingvatur, te præsente illi tenebræ sunt. Idcircò ad tuum Regnum desiderans suspirat, & deficit anima mea. & in atria tua. Suspirat quotidie velut passerculus nidum invenire, inter tot agmina SS. Angelorum & beatorum Spirituum. Suspirat velut *Turtur solitarius quærens quietū locum, nidum, ubi pullos suos reponat.* Psal. 83. Sic mihi Regnum tuum & altaria, velut nidus sunt, ubi sive ut Turtur solus, agens vitam contemplativam, more turturum, sive activam more passerum, inter choros Angelorum, ibi interim quiescam, ubi vota mea, & casta desideria, piasque meditationes, compunctiones & preces ac laudes quasi pullos reponam. O quàm terq; quaterque beati qui habitant in Regno tuo Domine; O quàm beati saltem in spe, qui freti tuo Divino auxilio decernunt firmiter in corde suo non hærere in valle lachrymarum, sed semper continuis suspirijs contendunt ascendere ad Regnum dilecti tabernaculi tui quod est vita æterna. Iam ibi inveniunt thesaurum indeficientem & infinitum, quo qui usi sunt participes fiunt amicitiæ Regni Dei, propter disciplinæ dona, commendati, ij iam sunt supernæ contemplationis facibus accensi, & solo Conditoris desiderio anhelant, nihil jam de mundo cupiunt, omnia fastidiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæq; abijciunt, cuncta temporalia mente transcēdunt, amant, ardent, suspirāt, atque in ipso suo ardore requiescunt, amando

etenim ardent, & loquendo, alios accendunt, & quos verbo tangunt ardere protinus in Dei amore, & quasi ipso Regno Dei uti frui faciunt. Ad Regnum tuum concupiscit amor meus, non otio torpens, sed strenuus me acriter vrgens, ut ad tam dilecta Regni tui tabernacula flagrē quasi exporrectis brachijs illa cōplexurus. Heu me quàm amore feruens, siti, desiderio, & voto amore non expleto langueo & deficio. O vide Domine qui virtute plenissimus es, quia nihil est amore, languore, & desiderio funestius, & suscipe intra Sacrarium exauditionis tuæ gemitus & suspiria mea. Exaudi me, ob merita tua, qui es. *Agnus immaculatus ab origine mundi occisus.* Apocal: 5. Et benedic desideria mea benedictione Spirituali in cœlesti Regno tuo reple me.

CAPVT XXXII.

Amans amore languescit.

F*Vlcite me floribus stipate me malis quia amore langueo.* Cant. 2. anima etenim mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est: non amplius continet se intra spheram activitatis suæ, sed à se egreditur, & effundit Spiritum suum in amorem, ad instar balsami spissi, quod calefactum liquescit; aut favi mellis, qui tactus ardentib' radijs solis egreditur, seu effluit ex seipso, derelinquens suam formam liquescit, in ea parte, in qua radijs tangitur. Similiter anima mea, ta-

cta radijs ardentis vocis tuæ, limites suæ naturæ transgreditur, dulcedine inebriata, nihil iam præter te spirat, amat, vult, querit, desiderat, sapit, ad te suspirat, & quod non Deus est, nihil ei sapit: iam enim rapta est amore sempiternorum. Eapropter in se languens & deficiens clamat. *Ignitũ eloquiũ tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Psal. 128. *Viuo ego iam non ego.* Corint. 20. sed viuit in me Dilectus meus Sicut enim gutta aquæ, cadens in mare in maris aquam convertitur. Ita vita mea, absorpta in mari amoris tui abysso. Iam ergo non in se, sed in te vivit, ut stellæ in sole, nulla facta iactura sui luminis, non amplius lucent, sed sol lucet in illis. ipsæ verò absconditæ sunt ipsius lumine.

Non absimiliter anima mea non perdita vita, sed mixta supernaturali in te viuit Et vivit mille suavitatibus inebriata mille affectionum & desideriorum amoris plenarum perfusa. Proptérea in te effusa, quod charum & rarum (inquantum viatori possibile) in te colligit, dum amore incensa liquescit, iam tuam bonitatem & pulchritudinem admiratur, iam audit, interrogat loquitur intuetur suspirat, extra se rapitur, quod tu eam tot cumules gaudijs, iam inspirando, iam tangendo, Cor aperiendo, lumine claritatis insignis, & propè infinitis suavitatibus perfundis: idq; ita modo secreto, ut non possit omnimodè explicari sermone, hæc tua plusquam super effluens gratiæ amoris tui plena conversatio.

Sæpius

Sæpius suaviter ardenti tangitur affectu tota liquefacta, tecum commoratur in Contemplatione ut anima Magdalenæ de Pazis. Hierony. & Sysoi, tecum oblectatur, & tamen, post sexcentos conatus, id præstandi pro desiderio & affectu Cordis, se minùs efficacem & aptam depræhendit. unde misera & suspirabunda clamat. Eheu quam vellet misera anima altera Philomela cantum, semper altius vibrare amoris sui affectus, & quo meliùs tecum suaviatur, eò magis complacet, & displicet delectando, quod non possit adhuc melius proficere, ut in hac passione, optimo quo potest modo sibi satisfacere, nihil non adhibet nil non tentat. nullam licet per difficilem viam non ingreditur, inter quæ languentem & liquescentem non unquam contingat debilitari, cadere in terram semianimem, & omni robore destitui; ut etiam ipsam respirationem præ nimio studio, & cupiditate tuorū suaviorum amittat, & prorsus sui compos non existat.

Idq; amore tuo saucia, seu vulnerata, amorem an verū fatear gratiâ. Gratia est enim amoris Mater, amoris Magnes cœlestē ad se attrahit gratia, & sine ea esse non potest. Vbi Amor ibi & gratia & amorem habenti semper datur, & insimul augmentum eius, nam Amor est donum gratiæ. Eapropter qui habet amorem, hic & alia quoq; dona Spiritus percipit. quilibet eius actus disponit ad amoris augmentū: in quantum ex uno actu charitatis, homo redditur promptior ad a-

gendum

gendum secundum, charitate & habilitate crescente, prorumpit homo in ferventiorem actum dilectionis & affectus, quo conatur ad charitatis profectum, & tunc Charitas augetur actu.

O quam igitur potens est, hic Magnes Amor, qui sic hominis Cor disponit & habituat, ad maiorem gratiam, & alia dona, & virtutes perficiendas. & maximè Amoris profectum.

Sed quoniam Gratia parit gratiam, quomodo non potest liquefieri anima mea, dum mihi ut Mater blanditur, amor tuus reficit & consolatur. Iam ergo amor tuus sponsus meus, nutricius meus; mecum & in me vivit laborat, fabulatur, me comitatur & urget, ad maiora charitatis opera peragenda, & difficultates tolerandas. Inimicos diligendos & ad orandũ pro persequentibus me.

Quod si mihi ut chara Mater blanditur, cur etiam alter Samson sæpe sæpiùs in me desæuit, inbecillem reddit, eneruat ita dicam viscera mea, Spiritus vitales intercludit, sensus corpo• & animæ debilitat, vires aufert. Et ut sentio quandoq; inimicum agit, & insidiatur miseræ vitæ meæ: nam debilitate mea crescit, imbecillitate radicatur impotẽtia roboratur, defectu proficit, deniq; languore meo vivit.

O quis, qualis, & quantus amor cœlestis, qui dum me supernorum contemplationis dulcedine abundante perfundit, ac cœlestium desideriorum ardenti & Seraphica flamma incendit,

tum

tum vel maximè vires exhaurit, Cor meum liquefacit, & animam continuis gemitibus, suspirijs, ardoribus, & intentionibus implet, non sine causa dicitur. Si fortis est amans, languet amor, si autem fortis, languet amans.

O doce me quid sit amor tuus? non sic sævit cupidus ignis elementaris, prout flamma amoris tui. Vbi enim tres pueri jactati fuerant in fornacem Babylonicam, hos devoté & benignè excepit ignis. lambebat roscida flamma blãdiens; tuus vero videtur consummere, dum lãgvidum reddit. Est instar ignis qui dum purgat, aurum liquefacit.

His flammis debilitata & Sponsa voce præ dulci clamabat. *Amore langueo*. Cant. 2. deficio? diffluo? ecquis me reficiet? fulcite me floribus, date manibus, lilia plenis. Sed quam dulcedine mirifica plena, & hæc amoris liquefactio, amãti necessaria, quis intelligere & enarrare sufficiat? scilicet, dum animam cœlestibus desideriorũ ardoribus sursum agit, quam dulcis? dum mellea teneritudine in te trãsformat; quam dulcis, cui ex nimia charitate crucifigi placuit: quam dulcis, dum unum Spiritum & animam tecum efficit.

Blandiatur, blandiatur ut Mater Cordi meo, reddat me carni & sanguini debilem, dummodo Spiritus meus corroboretur in interiori homine, & alter Antheus qui proiectus ab Hercule fortior à terra surgebat, sic meus Amor ab

hac

hae liquefactionis debilitate ad te amandum fortior evadat.

Sed heu me? miserum, cur Cor meum amor tuus liquefacit, cur languore consumit? nisi fortè ideò anima maceratur, emollitur, ut eò faciliùs impressiones cœlestes, sic disposita & amorem recipiat & contineat.

Per amorem tuum dereliquit homo omnia & seipsum, imò odit animam suam: & quasi sui oblitus desuper illuminatus & tactus vociferatur. *Revela oculos meos Domine, & considerabo mirabilia de lege tua.* Psalm. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer & servus tuus dilexit illud* Ps. 140. *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Psalm. 72.

Heu me quis dabit legem amantibus, nisi fortè maior est lex sibi amor. hac lege tactus sursum efferor alijs, & cursu supero omnes. Iam feror, distrahor, ita nullam mentem animi habeo, ubi sum, ibi non sum, ubi non sum, ibi est animus quod lubet, iam non lubet, & id cōtinuo. ita me ludificat lapsum fugit, agit, appetit, rapitat, tenet, iactat, largitur, & quod dat, non dat, quod suasit iam dissuadet, quod dissuasit ostentat, idq; facit amor liquefactivus.

Ob hunc amorem, tota vita mea nihil est aliud nisi lachryma gemitus, suspiria, quia languores sine cessatione patior, & deliquia amorosa, denique stupendam quandam communicationem.

O vide

O vide Domine liquefactionē animæ meæ, vnde, & quo me ducat, quomodo eam cœlestibus desiderijs perfundat, & qui vel semel dulcedinem cœlestem gustaverit, oppidò illi vivere grave in languorib⁹ & amaritudinib⁹ huius vitæ.

O DEVS, ó amor, semper Sanctum opus tuum in me spira ut cogitem, compelle ut faciam, suade ut diligam, confirma ut te teneam, custodi me ut non amittam. O æterna veritas, ô vera Charitas, ô chara æternitas, tu es Deus & amor meus, ad te die ac nocte suspiro, ad te gemitus & fletus, ac cordis dolores me respiciunt.

Dum enim anima mea liquefit, in compunctione eleuata manna cœleste recipit, recipit nouam speciem internæ refectionis & obstupescit, ut divina dulcedine repleta dicat, quid est hoc? quia dum ab intima cogitatione suspenditur, ea quæ de supernis cogitat, insolitè miratur, ac per hanc vocem corporis nostri surditas rumpitur, vetustæ vitæ vsus protinus mutatur, ut anima superno aflata spiritu, & in supernis appetat quod contempserat; & contemnat in infimis quod appetebat.

Sed unde hoc mihi, ut de languore amoris loqui audeam nisi ideò, oculus corporis etiam pleniſſime sanus, nisi candore lucis adiutus nihil potest videre; Ita & homo, etiamsi perfectiſſimè iustificatus, nisi æterna lucæ iustitiæ divinitus adiuvetur rectè non potest videre, nam

sicut

sicut oculus benefici videt luminis, quo si caret, cæcus remanet, & in tenebris ambulat. Sic & ego, nisi à tua gratia vires accipiam, cæcus maneo & ab amore exclusus. Gratia est vehementior ad diligendum quàm natura.

Propterea gratia dicenda est balsamum purissimum purum solidum, & profundum vas requirit; idest Cor mundum & humile DEVS humilibus dat gratiam.

Bene quidam in veritate didicit, nihil æquè efficax ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam quam si omni tempore inveniaris non altum sapere, sed timere sicut scriptum est. *Beatus homo qui semper est pavidus*, Prou. 8. Timendū ergo est, dum arriserit gratia, timendū cum abierit, timendū dum demū revertetur, & in nobis operatur & hoc est semper pavidum esse. Vnde & colligere possumus. Gratiam in tribus cōsistere: in odio præteritorū peccatorum; in contemptu præsentium bonorum; & desiderio futurorum cœlestium: seu solius Dei visionis.

Quæ utinam semper mente retinerem, maximoperè quia gratia, non tollit passionum alterationem, per passionem est homo fragilis, licet fuerit quis. & Sanctus.

Vtinam meminisse liceret, quia & nullus Sanctus dicente Apostolo. *Qui dicit se peccatum non habere, mendax est, & veritas non est in illo* Ioā 2.

Nihilominus inde dignoscitur Sanctus & iustus, si rerum integer æstimator, fuerit, ipse est

qui ordinatam habet charitatem, non enim diligit, quod non est diligendum, nec negligit, diligendum, nec ampliùs diligit, quod minus est diligendum, nec minùs diligit quod amplius est diligendum, nec minùs aut ampliùs diligit, quod æquè diligendum. Et qui sic diligit, est Corona gloriæ, in capite eius.

Iam ergo in his desiderijs constitutus cur Gratiam Compunctionis non recipiam nisi rarissime, hæc siquidem datur non ex meritis nostris sed ex valore Passionis & meritis Christi (quorum particeps nemo nisi per dispositionem amoris præparatus fuerit) nulli etenim hæc communicatur, nisi prævia dispositione, ut per illam quasi quoddam organum satisfactionis Christi fiat applicatio. Quia agens non inducit formam nisi iuxta dispositionem subiecti.

Quocirca doce me ô abyssus mysteriorum cuius nutu rapior, & exardesco, quomodo mihi amandus es in hac liquefactionis debilitate, qui mihi semper amandus & laudandus es. Qui me & in prosperis consolaris, & in aduersis ut Ioseph, ut essem salutem dedisti, cum peccassem ignovisti, cum conversus essem adiuvisti, cum perseverassem tenuisti me. Nec ista Superbis elati, sed confessio non ingrati, & habere te cognoscentis & nihil ex se habere, ut non sim nec superbus, nec ingratus confitentis.

Dicam ergo miser Deo meo, tuæ misericordiæ pelago innixus utinam omnes dies meos

vitæ

vitæ meæ liceret in Contemplationis dulcedine exigere, & compunctionis amorosæ.

Eheu, quis mihi dabit Alcyonis dies, qui sæpè etiam media hyeme mare tranquillum habet, & nidificat. Sic & ego in animæ meæ liquefactione te Deum inveniam propitium & misericordem Patrem, & eò intensiùs diligam.

Scio quia Magnes occulta vi ferrum trahit, Sic imo fortiùs Cor meum stringit, depascitur, coadunat, & jungit amor tuus. Paternus & cœlestis. O vtinam nunquam deserat.

Experientia video, & teneo, Sol quò directiùs nos tangit radijs suis, hoc minor umbra apparet, quo obliquiùs eo magis crescit. Ita & amor tuus, quo magis nos inflammat & liqvefacit, videtur minùs agere, dum verò remissiùs & magis Cor in amore proficit, & te cognoscit præsentem.

Idq; efficit Gratia, quæ est multarum & mirabilium rerum scientia, est Cognitio primarum & altissimarum causarum. Ex qua formaliter sapientes dicuntur, Estq; quædam participatio Divinæ sapientiæ, Et in hac sapientiæ est Spiritus Sanctus, qui est unus, & multiplex. unus in se, multiplex in actione.

Tradunt aliqui Solem marinis aquis pasci, Lunam dulcibus, sic & amor tuus liquefactione & debilitate mea pascitur. Desiderio verò fouetur & crescit. Vtinam & me miserum pascat, foveat, & in dies in amore crescere faciat, & me

languentem cœlestibus gratijs reficiat, & hanc suam actionem multiplicem in me infundat, & maximè fervorem amoris.

Vt quemadmodum vivere animam in corpore vitales sensus probant. Habitare in anima Spiritum Sanctum probat vita Spiritualis, illud ex visu & auditu dignoscitur; istud ex charitate & humilitate, cæterisq; virtutibus.

In terra etenim datur Spiritus Sanctus, ut diligatur proximus: in cœlo datur, ut diligatur Deus, sicut ergo vna est charitas, & duo præcepta, ita unus Spiritus, & duo dona

Proinde vide Domine meam devotionem, quæ non vult in Corde putrescere, est enim bonæ voluntatis feruor, quam meos cohibere non valet, sed certis manifestatur indicijs, & ad te sursum levari. Sed vnde miser terrenus possum, & quomodo ad te ascendere, qui funes? quæ machina? quæ scalæ? opus sunt. Sed gradus affectus meus est, iter ad te voluntas bona, amando ascendit ad te anima, non in terra sed in cœlo est, amans, dum te diligit. ô amor, ô fervor, ô gratia! quid mirum si me liquefacias: & factum sicut terra sine aqua pulvis

Iam ergo dicam de me ad te, ante eras mihi largitor gratiæ, iam nunc es debitor, dum enim donas gratias, reddis debita, nulli debens, & non aliquid à nobis accipiens, sed quod tibi placuit nobis promittens, hoc ergo modo possum dicere, redde Domine quod promisisti, dicens habenti

benti dabitur. *Matt.* 13. quia fecim⁹ quod iussisti, & hoc ipsum tu fecisti quia laborantes adiuvisti, & peccantes suscepisti, sed quoniam omnes victimæ de Lege Moysi sale, conspergebantur. O quam necessariū Sal gratiæ tuæ Cordi meo.

Gratia ideò datur ut lex compleatur, natura liberetur, & peccatū non dominetur, ad hoc ut in nobis operetur, incipiens in valentibus & nos perficiens. Sine illa nil operamur, etiam cum volumus, ad bona opera nihil valemus. Proterea Gratia tua servat Ordinem naturæ, & ab imperfecto procedit; (ut Sol in aurora tenuis crescit in perfectum diem.) Sic gratia primo hominem sanat, deinde boni desiderium in eo excitat, post efficaciter bonum operatur, & in bono perseverat: insuper, vitam æternam largitur. Quia est activa, nec vult in nobis otiari.

Nec tamen Subiect idispositionem excedit: ideò non omnibus æqualis datur, neq; æqualiter uti Thomæ in latere Christi, Ioanni in pectore, Petro in sinu Patris. Paulo in tertio cœlo, hujus secreti misericordiam assecuti. Thomas in fundamento fidei, Ioannes in lecto charitatis, Petrus in luce veritatis, Paulus in intimo Sapientiæ, ut cognoscere possimus divisiones gratiarum dari desuper. *Et mansiones multas esse in domo Patris cœlestis.* Ioan. 14.

Et quantumcunq; locupletissimo conscientiæ bonæ thesauro & gratiæ locupletetur anima, semper tamen infra justitiæ regulam consistit,

etsi ad unguem humana iustitia Divinæ comparetur teste scriptura, *quasi pannus menstruatæ reputatur*. Isaiæ 64. Elaborare semper contendat humana industria cum gratia, ne desidiæ arguatur & nec præsumat de sua messe, ut stultitiæ condemnanda, ne cum fatuis virginibus excludatur. Arcam Cordis sui supponat Propitiatorio dicens cum Psalmista. *Quia melior est misericordia tua super vitas*. Psalm. 62. Nullum enim genus vitæ, per se saluti sufficere sine gratia imò nec nominari vita, amor, aut bonum opus valet. *Sine me (inquit) nihil potestis facere* Ioan 15.

Propitiatorium igitur humilitatis faciendum. Et dicendum, Exaudi me Domine languentem, non quia merui, sed quia benigna est misericordia tua. Semper præsentandum Deo, non nostrũ meritum quod malum, nec naturæ, sed bonitatis suæ privilegium, quo interdum plenè audaciùs mali, quam boni utuntur. Et quia sine privilegij huius productione Pharisæus gratias agebat, ut mendax prædicator repulsus est. Publicanus verò tenorem Privilegij relegens, de proprio verò nihil, nisi reatum habens, summá precum suarũ Iudicij allegans, de cõmunitate Privilegij. Deus propitius esto mihi maximo peccatori, iustificatùs discessit. O propitiatoriũ misericordiæ & amoris Dei, te nec vetustas corruptæ mentis abhorret, imò tu recipis omnia execrabilia hominum facinora, ac indulges, etiam non indulgenda, audeo dicere secundùm atrocitatem cri-

minum

minum, penè etiam non indulgeres execrabilia ; nisi Propitiatorium esses, & Amor æternus.

O quæ? quanta? & quam magna misericordia tua Domine qui non modo peccatores iustificas, & Gratia efficaci & perseverantiæ reples, sed etiam donis Spiritus S. illuminas, ac amore inflammas ac ad te sursum trahis. O quam mellifluæ delectationes tuæ.

O quam suavis Spiritus tuus, ô quam opulenti, & penetrantes viscera animæ meæ & Cordis amoris tui suavitates.

Considero Pa[illegible] novi & veteris Testamenti, & mirari non possum satis, scilicet David, Danielem, Amos, Petrum, Paulum & Matthæum: & apertis oculis fidei intueor; Implet namque Spiritus Sanct[illegible] puerum Citharædum, & Psalmistam facit, implet abstinentem puerum, & Iudicem facit senum, implet Pastorem armentarium & Prophetam facit, implet Piscatorem, & Principem Apostolorum facit, implet Persecutorem & Doctorem gentium, & vas electionis facit, implet Publicanum & Evangelistam facit: O quam bonus & potens Spiritus tuus Domine! quam rectus, infirma roborans, corda purificans, & quicquid in hoc sæculo nequam, videtur difficilè & angustum, leve facit, illatum opprobrium gaudium judicat, despectum exaltationē esse persvadet. O quam & velox sermo Sapientiæ, ubi tu Deus es magister. Cito discitur quod docetur, nulla discendi mora ubi Spiritus tuus San-

us Sanctus Doctor. Iam nihil in humanis moratur nam super astra fertur anima. Cōsiderans quia omnia in mundo pereundo servantur, & omnia de interitu reformantur. Vtinam & me in hac liquefactione absorptum impleat & doceat Spiritus S tuis mandatis obsequi, tuam voluntatem adimplere & meminisse, quod nullus tuus servus sine persecutione fuerit, nec esse possit. Quod si & ego timeo & fugio persecutiones, nec dum cœpi esse Christianus. Video etenim Iob in sterquilinio tanquam aliquod vivum stercus languentem, Ioannem in deserto esurientem Petrum extensum in Patibulo, Iacobum decollatum Herodis gladio. Stephanum lapidatum, Laurentium igne assatum, & Cogito, qualiter DEUS in futuro cruciabit quos reprobavit, si tam durè afflixit, quos amat. O amor! ô abyssus! ô iudicia DEI! ut cognosco cui vis misereris? & misericordiam præparas.

Ea propter Iustorum vita præsens in miserijs & languore, ita suavitatem gratiæ Spiritualis, in intimo Corde conservat, ut hæc à proximis quanta sit, nullatenus valeat perspici, donec soluto Corporis domicilio, liberè se animæ ipsorum alterutrum in cœlesti luce conspiciant, & quanta singulæ gratia Spiritus S. fulgeant, quātum unaquæq; diligatur, ab altera, nulli prorsus remaneat occultum.

Iam ergo his consideratis, redi ad Cor tuum mens mea, suppliciterq; discute, libera à lique-

quefactione, Cordis, animæ, & Spiritus ſeipſum conſidera: Vnde venis? quo deveniſti? quis amor tuus? quo tendis? quid deſideras? quæ intentio tua? quæ vita? quomodo vivis? quid agis? quantum quotidie proficis? quid amittis? quantum deficis? quibus cogitationibus impugnaris? & quomodo interioris, & exterioris hominis ſtatum & habitum, in quantum poſſibile eſt cognoſcis? non ſolùm qualis ſis? verùm etiam qualis eſſe debeas.

Cognoſce quis ſis? quid intra te? quid infra? quid ſupra? quid contra? quid ante te? quid poſtea ſit futurum? Hæc conſideratio quadripartitum fructum affert. Vilitatem ſui, Charitatem proximi. Contemptum mundi, Amorem Dei: & talis maximè novit quomodo vivat, & quid petat?

De cognitione ſui poteris mente ſublevari ad contemplandum Deum, & cœleſtem dulcedinem amoris deguſtare, inebriari, & ſuaviari in ea, præ admiratione.

O Sancte Spiritus accende, & inebria animam meam, dono tuo accēdar, & Spiritus meus ſurſum feratur, inardeſcat, & aſcendat aſcenſiones in Corde, & cantet Canticum Graduum, quoniam Spiritus meus ſurſum aſcendere deſiderat, ad pacem cœleſtis Hieruſalem. Et dies noctesque cum gemitu & fletu ad te ſuſpirat, & aſpirat, recogitans? Hem *quid mihi eſt in cœlo, & à te, quid volui ſuper terram.* Ego *verò delectabor in Domino.* Pſalm. 72.

O quàm altè sublevatur homo in Contemplatione rerum Divinarum, ut jam planè absorbetur, ab ardoribus plus quàm Seraphicis.

Ibi jam videt, quæ sit merces diligentium Deum, & bonæ Conscientiæ quæ est titulus Religionis, templũ Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, gaudium Angelorum, Arca fœderis, thesaurus Regis, aula Dei, habitaculũ Spiritûs Sancti, liber signatus, & clausus in die Iudicij aperiendus.

Ibi jam agnoscit, quia vita Contemplativa maior est quàm Activa, quia hæc in usu præsentis operis laborat, illa verò sapore intimo requiem degustat. Et quod Contemplatio Divinæ suavitatis, solis mente & corpore puris conceditur.

Iam & anima quæ hic antequam obtineat amatum, currit per desiderium; sed cùm obtinet quod amat, in ipso per delectationem quiescit. Vnde anima quæ per charitatem in præsenti Deum in parte, id est imperfectè habet, jam ibi in futuro habebit perfectè, quiescens in summo bono. cernens non per speciem, & in ænigmate, sed facie ad faciem. Iam ergo. Tui amore miser langveo: O beata regio Paradisi, ô beata regio deliciarum, jure ad te suspiro de hac lachrymarum valle. O quæ ibi Deus præparavit diligentibus se, fide non capitur, spe nõ attingitur, charitate non apprehenditur, desideria & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari

mari non poteſt. O Civitas cœleſtis, manſio ſecura. patria dulcis: *Quàm glorioſa dicta ſunt de te. Sicut lætantiū omniū, habitatio eſt in te,* Pſal. 86. & exultatione omnes delectantur de Deo, cujus aſpectus pulcher, facies decora, eloquium dulce delectabilis ad videndum, ſuavis ad habendum, dulcis ad perfruendum. Quis enarrare ſufficiat, quæ ibi delectatio pulchritudinis? ut præſens tibi ſit, & nunquam ſatieris? imò ut ſemper ſatieris, & nunquā ſatieris: ubi enim dixero quod non ſatieris, fames erit; ſi dixero quod ſatieris, faſtidium timeo ubi nec faſtidium, nec fames erit. Quid ergo dicam? neſcio: Sed DEVS habet & ſcit, quid exhibeat electis ſuis, & ſine faſtidio, ſatiet eos & ſine fame deſideria eorum accendat, & adaugeat. O Domine erige cor meum ad te, ut mihi ex hoc dulceſcas in ſæculum. quia tu Amor meus es, gaudiū meum, dulcedo mea, & totum bonum meum: & ne dimittas me vagari ſuper terram amplius miſerum.

CAPVT XXXIIII.

Amor delectationibus animam replet.

DElectare in Domino anima mea, & dabit tibi petitiones Cordis tui: Pſalm. 36. Id eſt ama Deum amore incomparabili & influet in te magnus

com-

complacentiæ motus, qui generat delectationem. & senties quanta ei inest dulcedo, quam suauis, dum intrat anima per Contemplationem in thalamum sponsi sui. Tum enim perfunduntur incredibili suauitate omnia interiora, sensus, imò & ossa eius.

Ille sua siquidem delectatione mouet vsq; ad diuisionem animæ & medullarum. Ex eius bonitatis comtemplatione augetur delectatio, interueniente feruenti amoris exercitio. Cor attrahit perfectiones eius, quæ cum prolectant, & suauitate delectationes perfrui faciunt, Et degustata eius delectatione anima amans clamat. *Ecce Odor Dilecti mei est, sicut odor horti florentis.*

O quam pretiosa vbera eius, spargentia odorem vnguentorum summè eximiorum. Delectatio eius perfundit amantem rore gaudij cælestis, velut vellus Gedeonis. Ros est velleris, eo quod in illud descenderit, & vellus vicissim est roris, eo quod medefactum sit per rorem: & ab eo suum acceperit valorem. Sic anima amans est delectationis, & delectatio amantis. Atq; ideo quià delectatio nunquam explet amantem, imò indies virescit, floret, vernat. Eapropter est semper amabilis, semper desiderabilis, continua eius lætitia producit desiderium, procreat delectationem nunquam non desiderabilem; Regnat desiderium in ipsa delectationis possessione, quia Amor Diuinus est bonum infinitum, & possessionem excitat in ipso desiderio, quià habet quo
per

per suam præsentiam expleat desiderium, & etiam vnde faciat perpetuo viuere per magnitudinem suæ excellentiæ, quæ nutrit in omnibus ijs qui illam possident desiderium semper completum, & delectationem nunquam non desiderabilem. Proinde sicut Infantulus aliquis paruos quosdam ergà Matris vbera facit motus, & velut tripudians, dum videt ea discooperta, & matrem singulari cum amore ea sibi porrigentem suo modo exilit delectatione, ita anima Amans persentiscit cordis exultationes, ac velut quædam tripudia præ delectatione incomparabili, & voluptate nulli secunda, quam capit ex gustu & præsentia sanctissimi Amoris.

O nonne magno cum inditio Amor has delectationes amanti concedit. Hem quam iustam causam, hæc anima habet exclamandi.

O Dilecte mi, quam mell flue sunt delectationes; *O quam opulenti tui amore*. O quis lætior est, an ego miser qui inde voluptatem ingentem capio, an tu qui eis frueris, & me participem facis Optime. Psalmista. Ps. 41. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam quoniā transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsq; ad domum Dei* Vide quia euacuaui animam meam omni delectatione terrena vt repleam cælesti. Dilataui mea desideria & Spiritum, vt capax sit tabernaculum tuum admirabile intrare. Eleuaui me, suprà me ipsum transcendo omnia visibilia, ut in te solo delecter maneam, & vivam.

In amo-

In amore tuo, Tu enim per amorem, etiã bona tua homini communicas; ut videri queat, homo omnis gloriæ tuæ causa: quodq; gloria tua quam habes etiam ad hominem pertineat. Apertè id demonstrasti dum in augustissimo Altaris Sacramento pauxillum aquæ vino admiscetur. hoc mysteryo, quia aquæ designant populos, ad significandum, quia tu in hoc mysterio portentoso coniungeris homini, quoq; est miraculorum tuorum maximum, ostendis partem habere hominem tantæ gloriæ, & sine illo te illud non facere, sin verò sine aqua offertur, sangvis tuus incipit esse sine nobis: Veruntamen Sacramentum efficitur. Eandem communionem cum homine gloriæ tuæ facis, dum te esse Filiũ Dei maximè probas, *dicisque te simul Filium hominis* Marci 2,

O quantus tuus amor Domine erga hominem. Communicas quoque gloriam tuam dicens. *Si quis diligit me sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioan. 14. Ecce Domine dum te aliquis amat, non jam eum ad te ut Enoch, & Eliam vivos, aut etiam Antonium Styllitem Onofrium, mortuos transferes, quod est de congruo, sed dicis *Pater meus diliget eum.* Ioan. 23. quid est hoc *diliget*, an benedicet ut Iob, an à morte liberabit ut Isaac, an coram se ambulare sollicitè faciet ut Samuelem, minimè. Sed veniet de cœlo ad hominem, velut ad Abraham

braham alterum; O mirabilis dilectionis adventus, ad hominem veniet in terras Deus, eritq; non ut hospes, ut in domo Abrahæ, sed velut incola manebit apud eum: id est, gratiam & gloriam suam ei communicabit, ut fruatur ea in æternum. Amor tuus infinitus id efficit, ut unum amissum pro multis numeres? dicens: *Multi vocati, pauci electi.* Matt. 1. Eccur unũ pro multis numeras? num unus multi? num ob unum multitudo confusa? imo Vnus, nullus dicitur in jure? sæpè unus actus bonus non facit virum bonum? nec una hirundo facit ver, aut huius unius eject o similis casui Luciferi, qui sua caudâ tertiam partem stellarum traxit? aut ejectioni Protoparentis, qui nos omnes mortales infecit fomite peccati, qui in nobis etiam post baptismum remanet & à Paradisi delicijs secum detraxit. Sed tu solus ô Amor immense sic numeras, quia unum amissum, sic impensè doles, ac si multi ejecti essent, & pauci electi: ac ob unum amissum paucos relictos esse censeas. O qualis! & quantus Amor tuus? qui unum curat tanquam omnes, & omnes tanquam unum. Eheu me! quis hominum scire valeat quantus Amor tuus sit lucrandarum animarũ, & quàm ardens desiderium, quia eas extra morem humanum & sæpiusculè numeras. Sic nõdum elapso anno in deserto Moysi populum recensere imperasti. *Tolle summam universæ Congregationis filiorum Israël.* Num: 4. 2. Quemadmodum qui peccunias

nias diligit continuò, seu sæpenumerò eas supputat, ita & tu Domine eos quos diligis supputare non desinis: ac ex eorum crebra supputatione voluptatem capis: Vnde jure meritò de te mihi indigno & misero dicere liceat. Vnus es DEVS, & secundum non habes, & tamen laborare nō cessas, nec satiantur oculi tui divitijs, nam animas pro divitijs habes, ideò tanti facis. Sic etiā sitim tuam inexplebilem, qua ob amorem lucrandarum animarum flagras expressisti *Arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui intrant per eam.* Matth. 7. Sed doce me abyssus amoris, quandoquidem tu, tam paucos salvandos supputas, operæ pretium est examinare quomodo discipulus ille, quem tu diligebas, supputavit? dicens: *Vidi turbam magnam* (in cœlis) *ex omnibus gentibus, populis, & tribubus, quam dinumerare nemo poterat.* Apocal. 1. proculdubio errare videtur, nam suptilissimum quemq; Arithmeticū illum numerum latere dixit, & quæ est hæc supputatio? aut quomodo præco veritatis concors fiet veritati? Sed minimè: haud enim supputasset quin vidisset, turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.

Tu igitur Domine mi Crrator optime, & Salvator clementissime paucos Electos dicis: quia Amor tuus Divinus explere aviditatem & suam sitim nequaquam potest: ideò omnia illi exigua videntur, & tametsi plurimi salvi fiant, tàm Religiosi, quàm & Sæculares tu paucos e-

xisti-

xiſtimas. Huius inſatiabilis amoris vivum exemplar expreſſiſti, cum accendentē ad oſculum ſanctiſſimi Oris tui cruentam beſtiā Iudam proditorem, non es averſatus, ſed os in quo non eſt inventus dolus, ori quod abundavit malitiâ, dulciter ſuſcepiſti, & animam exeuntem hoc modo imbibere, excipere, & in ſe transferre voluiſti. O IESV mi, quandoquidem ſic æſtuas amore animarum noſtrarum, ut ſitis tua haud unquam exſatiari & extingvi queat. Obſecro, accende in me ſitim Amoris tui, ut ſemper in me ardores eius, deſideria, & concupiſcentias æternas ſentiam & in eis indies proficiam.

Sed, quid Amoris ego deſideria & Concupiſcentias eius quæro? doce me abyſſus incōprehenſibilis Deus, quid ſit amor? & unde in homine eſt? eſt etenim in homine, operante; ſed ſine te non eſt in homine. Indebitus quidem homini, ſed cui eum dabis plura debet. E cœlo originem trahit, licet in terris deſpicatiſſimus verſetur, & inde deſpicitur, unde ſuſpiciendus foret; Supra hominis naturam eſt, & tamē miraculum non eſt, niſi velim illum appellare naturale miraculum. Imò eſt quidā vigor mortalibus ſupernè inſitus, unde quædam Divinitatis elogia per participationē mutuatur, & quantum fieri poteſt in homine aſſervat & exprimit, quadam ſpecie participatæ æternitatis ſive immenſitatis fruitur. Eapropter à varijs juxta guſtum deſcribitur. Iam admirandum inſtrumentum ad

tum ad exacuandam mentem, ut etiã animam penetret. Impressio prima quam infert pulchritudo, seu excitatio qua urgetur animus, dũm forma placet. Seu propensio & inclinatio in bonum & pulchrum appetendum. Motus illapsus & acceleratio Cordis ad bonum. Partus Cordis primogenitus. Proles complacentiæ, delitiosissimus sanctissimæ Charitatis Paradisus, ultimo genitus inter omnes affectiones Cordis humani, qui ita hominem penetrat, intensissimè, & quo scientia exterior nequit penetrare, amor penetrat, generatq; pulchritudinem in amato tam efficacem, ut lubentiùs aspicere malit, amantem iratum: quàm inimicum blandientem. Movemur nescio quo pacto, etiam locis ipsis, in quibus eorum quos diligimus adsunt vestigia.

Amato benè vult, pendet enim honestus Amor ex animo, non ex lucro. ac exinde suavissimam delectationem haurit. Illi loquitur oculis, nutu, suspirijs, & externa corporis constitutione, imò ipsum silentium est ei loco verborum. Non immeritò dicitur acedo dulcis, nam nunquam in hoc mũdo perfectè dulcis, eò quòd non sit ex omni parte absolutus, nec purè expletus, ac in perfectione consummatus, nec tamen cessat magnoperè esse gratus, acore perficiente suavitatem eius dulcedinis, & vicissim eius dulcedine condiente gratiam acoris. Ille est, qui excitat attentionem contemplativam, attentio generat amorem, & ferventiorem amorem.

rem. Ille nos excitat, ut placeamus in visione tua Domine; visio verò facit ut jucundemur in amore. Insuper occupat Cor & cogit, estque causa, quod ita gratam in te inveniamus suavitatem, ut nequeamus mentes nostras eius visione & consideratione unquam explere. Contingit sæpê sæpius deficienti animæ, & extra se raptæ clamare. O quàm beatus est amor tuus Domine! O quàm beati, qui ardent amore, & hauriunt dulcedinem Charitatis tuæ! O quàm plenus suavitatibus & oblectamentis amor tuus! qui demulcet & penetrat etiam interiora mea. O amor cœlestis quem semper quæro, quo ardeo, ô dulcedo quæ influis in animam meam, excita in me æternas amoris, & semper ac semper majores concupiscētias: ut in dies & horas clamare non desinam. *Non satiabor, nisi apparuerit gloria tua.* Psal. 16.

Sed ô Domine & Pater noster, cuius nos omnes manuum opera sumus, ubi primùm placuit Dilectioni tuæ dicere: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Gen: 1. confestim: *Manus tuæ fecerūt me, & plasmaverūt me totum in circuitu,* id est, singulari labore, cura & amore effinxerunt terrigenam. Manus verò tuæ ecquæ nam sunt? qui es purissimus, & simplicissimus Spiritus, nisi Intellectus & voluntas, seu Sapientia & Potentia executrix. Insuper Bonitas & Charitas. Sed quandoquidem invisibilis es tu, & nemo unquam te vidit, nec videre po-

test: & quomodo in me cognoscam Imaginem & similitudinẽ tuam, indica ô Plasmator meus, quæ est, & in quo consistit Imago, & similitudo tua in me?

Hallucinantur multi, alij per Imaginem & similitudinem legunt Vmbram, ut velut umbra corpus sequitur, sic nos tuam voluntatem sequi, & ei se conformare tenemur. Alij te corporeũ ut Antropomophitæ autumant. Alij verò & permagni viri ajunt, te formaturum hominem Verbum incarnandũ Corpus assumpsisse, dicentes: quod sicut tu super Cœco fecisti lutum, & illinivisti oculos eius, ut te ostenderes, quòd ipse sis, qui ab initio hominem formasti ex luto, ad eundem modum sufflasti in Discipulos, declarans te esse qui primam illam Spirationem inspirasti scil: animam. Alij verò similiter affirmant in eo esse Imaginem tuam. Quia hominem omnibus Creaturis præposuisti dicens. *Vt præsit Piscibus maris, volatilibus cæli, ac bestijs terræ universæ.* Genes. 1. C. 26. ut nihil sit, ab hominis vel dominio extraneũ vel iurisdictione liberum. Alij quia homini Regium decus in ipsa creatione tribuisti. Alij asserunt tres potentias animæ: Intellectum, Voluntatem, & Memoriam esse Imaginem tuam, quæ repræsentant te Dominum trinum in Personis, unum in substantia. Alij Iustitiam & perfectionem, per quam Imitatores tui efficimur. Alij Spiritualem, invisibilem, & immortalem Animam. Alij liberum e-

rum eius arbitrium, quia tu hominem in manu liberi sui arbitrij reliquisti. Alij misericordiam præstare egenis, & inimicis, & eorum Infirmitati condescendere. Alij denique Charitatem & Amorem Imaginem esse ajunt, quia anima per amorem redit ad Imaginem sui principij, & suo prototypo assimilatur, ac velut virga Aaronis re-florescit, & Imaginem tuam in se verificat. Alij animam quod secundùm virtutem qualitatem excipiat. Insuper sicut tu Imago & similitudo Dei Patris æterni: ita tui Imago est Ratio. & Mens à te creata, ex Imagine habeo ut sim ratione præditus, homo ex similitudine ut bonus efficiar. Imago ergo à te nobis indita, Similitudo autem efformanda mihi relicta, efficior ergo, tua adjuvante gratiâ similitudinis effector. Vnde ille qui *dum in honore esset non intellexit* Protoparens noster, *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psal. 21. Qui ergo induit similitudinem, induit conformitatem Imaginis Filij Dei, induit quandã infinitudinem, nec est quo magis extollas Creaturam, quàm dum eam ad similitudinem tuam assurgere & pervenire concedis.

O Domine, accende igne amoris lucernam Cordis mei, amore etenim veluti quadam affinitate consangvinitatis sociamur, imò similes reddimur. Similitudo est siquidem causa amoris, reple delectationibus amoris tui animam meam & Cor meum, *delectationes etenim in manu tua usque in finem.* Psal. 15.

CAP.

CAPVT XXXIV.

Amor Angelis sociat.

TOta pulchra es amica mea & macula non est in te. Cant. 4. loquitur Amor meus animæ meæ, id est, tu amica per amorem, tu es speculum nitidum, lucidissimum incontaminatum denique Angelus. Angeli sunt splendores procreati, primi splendoris administri, secunda Lumina; non enim concessum homini primum lumen intueri, ideò in secunda hæc lumina aciem oculorum dirigit, & Angelis se sociat. Eapropter & homines Angeli dicuntur. ut Davidem Tecuitis Angelum vocat, dicens: *Dominus meus habet sapientiam sicut Angelus.* 1. Reg. 29. Stephani vultum intuebātur sicut Angeli. Eremita suum socium, patientiæ plenum vocat Angelū, & alij plerique. Quis Angelum negabit Magdalenam, cui triginta annis noctes diesque Angeli inservierunt, nisi quis supremum Seraphim ob amorem intensum eam vocaverit, ob continuam conversationem inter Angelos. Iam illa agnoscebat Angelos sublimiores in gloria, habere Cognitionē Dei sui, & Creaturarum simpliciorem, quàm Inferiores, & quod species, per quas illi vident, sint universaliores; Angeli verò minus perfecti vident per plures species, &diversos aspectus, magis autem perfecti, per pauciores species Iam illa

illa agnoſcebat Angelos mortalium Præceptores, lucis adminiſtros alios aſſiſtere, alios miniſtrare. Millia millium miniſtrant tibi Domine, & decies centena millia aſſiſtunt. *Daniel.7.* Sublimiora agmina nunquam ab intimis recedunt: quoniam ea quæ præeminent uſum miniſterij non habēt. Ideò Dominationes & Throni nunquam in miniſteriū mittuntur. Inferiores verò adminiſtratorij Spiritus qui ſcientias à te Domine uti primo lumine acceptas inferioribus tradunt; mandata perferunt Patris ad filios, & ad illum viciſſim preces filiorum. De horum numero fuit Angelus, qui Paſthumium ſimplicem, docuit credere, & laudare Deum, & in numero quinquaginta millium Eremitarum Superiorem (dicam) conſtituit. De horum numero fuit Angelus qui docuit Pachomium, & ſuos Eremitas Regula de cœlo allata, quotidie duodecim Pſalmos mane, veſperi duodecim Pſalmos, media nocte verò duodecim cum ſuis Orationibus recitare, & Deum laudare perpetuis temporibus.

Angeli aſſumunt varias formas, ut eò faciliùs ſervire poſſint hominibus, jam hominis, ut ille qui cum Eremitis Pſalmos cecinit, & diſparuit. jam ſtellæ ut Magorum, jam Nubis, & Columnæ ut Patrum in deſerto, quia ſtellæ non permutant loca. Iam inducuntur aſcendere & deſcendere ut per Scalā Iacob aſcendebāt. *Gen: 28.* Illi ſunt toti oculi, toti aures, omnes Internūtij, ut cunctorum certiores nos faciant, quæ tu vis

hominibus innotescere. Omnes tui ô Amor æterne & Rex bone administri, venti, & Spiritus, & Diaconi, Apostoli, Prædicatores, nostrarum rerum interpræte, & Custodes, præsides, conservatores, & conductores, viæ duces, Curatores & illuminatores, & socij ut Raphaël Thobiæ, Cæciliæ, Ludvinæ & alijs permultis. O quis Angelorum potentiam & naturam enarrare poterit? unus siquidē universo Exercitui, & Castris, ac innumeræ hominum multitudini assimilatur ob magnitudinem potentiæ. Sic Iacob vidit Angelum Custodem *Genes* 32. & Castra Dei esse dixit. Exinde etiam dicitur immitti Angelus Domini in circuitu timentium te. *Psal.* 33. id est, Angelus suâ magnitudine & potentia tanquam Exercitus numerosus circumdat & protegit Electos, te amantes. Angelus dicendus est homo, qui fugit jactantiam, quæ in nobis ex bonis operibus oritur, & fugit vanam gloriā. Angelus est, qui Cupiditates & voluptates, ac desideria vana, quæ in nobis non secundùm Deum pullulant, spernit & abhorret. Ne nobis in conspectu Dei consistentibus in Oratione, captivam rapiant mentem. Et cùm corpore dicamur stare in Oratione, sensu & cogitatione evagemur & ducamur per diversa.

Angelus est, qui renuntiavit mundo, id est, rejecit à se omne vitium & nullum, ad se introeundi reliquit aditum Diabolo, iracundiam cohibat, execratur invidiam, & non solùm detra-

here,

here, sed ne malum quidem sentire de proximo patitur. qui fratris gaudia, sua dicit; & tristitiã eius suam deputat, talis verè diligit proximum: & hoc est ponere animam pro amicis suis, offensas eis remittere, & non contristari eos; imò auxiliarem manum eis tempore necessitatis præbere; ita docet Apostolus. *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Roman: 12.

Angelus est, cuius hæc, & horum similia observat mens, Spiritui Sancto aperit in se locum: qui cùm ingressus fuerit, & illuminaverit eam, semper ibi jam gaudia, sempiterna lætitia, semper charitas, patientia, bonitas, & omnes qui sunt fructus Spiritus Sancti oriuntur, prout dicitur: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Si ergo mundo Corde astiterimus coram Deo, & liberi, à vitijs, & passionibus fuerimus omnibus. Similes erimus Angelis Dei, (& in quantum possibile est) Angelos, & Deum videre, videbimus.

Orantes oculos cordis nostri dirigemus, in ipsum. Et invisibilem mente non corpore, Intellectu scientiæ, non carnis aspectu. Nemo se etenim putet aut cogitet Divinam substantiam posse contueri, ita ut speciem sibi aliquam aut imaginem fingat in Corde corpoream alicuius imaginis similem. Nulla forma in Deo cogitetur, nulla circumscriptio, sed sensus & mens, quæ sentiri quidem possit, & perstringere mentis affectum, non tamen compræhendi, aut describi, aut enarrari valet.

Et imò opus, cum omni reverentia, & metu accedere ad eum, & ita in eum librare mentis intuitum. Vt omne quicquid potest splẽdoris, & claritatis, fulgoris, maiestatis, mens humana cõcipere, & cõspicere; super omnia eũ esse sentiat, semper & maximè si pura mẽte fuerit, nec ullis pravæ voluptatis sordibus occupata. Et ideò in hoc maximè operam dare eos, qui renuntiare sæculo, & Deum sequi videntur, sicut Scripturã est. Vacate & videte quàm suavis est Dominus. Psal. 33. Si ergo cognoveris Deum, in quantũ homini possibile est; tum demùm ut Angelus & reliquorum quæ sunt scientiam capies: & mysteria DEI agnosces. Et quantò purior fuerit mens, tantò plura ei revelat DEVS, & ostendit ei secreta sua. Amicus jam enim efficitur Dei, sicut illi, quibus in Evangelio dictum. *Iam vos non dicam servos, sed amicos*. Ioann. 14.

Ipsæ quoq; virtutes Angelicæ, & cuncta mysteria Divina, tanquam amicum Dei diligent eum, & obsequentur eius petitionibus. Et hic est verus amator, socius Angelorum, amicus Dei Omnipotentis.

Quocirca in me, amoris mei adimple mensuram, ut te quantum volo, desidero, & debeo diligam cum Angelis & Cherubim toto & mundó corde, utque sis propitius peccatis meis, ne amplius Amor miserijs defectuum reprimatur, qui etiam in infirmitate perficitur.

CAP.

CAPVT XXXV.

Cur amantes deserat amor?

D*Ilectus meus electus ex millibus*, dicit Sponsa ad te Domine. *Cantic: 9.* Tu enim summũ bonum es cujus natura esse à seipso, nostra verò dependenter à te. Tu enim magnus es sine quantitate, bonus sine qualitate, ideò verè & summè amabilis & bonus. Cujus Voluntas opus est, tu omnem creaturam absq; indigentia possides, & sine labore gubernas, & absq; tædio regis, & nihil est, quod conturbet ordinem imperij tui in summis & imis. Ideo solus vis à nobis amari semper, & super omnia & propter se.

O quàm igitur malè illi amant, qui te non propter te, sed ut salventur amãt. Nam hi non ideò te amant, quia Deus es, & summè bonus & amabilis, sed quia Dominus es, & potestatem habes vitæ & mortis. Malè igitur diligit Deum, quem pœnitet peccasse, ne pereat, seu ut evitet pœnam ignis: hæc est enim Attritio tantùm, taliter faciunt fornicarij, adulteri, & homicidæ &c. Taliter pœnituit Esau & Judas, & neuter illorum invenit locum pœnitentiæ, quanquam cum lachrymis quæsiissent eam.

Talis etenim semetipsum diligit, non Deum, etsi diligit Deum, sed uti misericordem, & hic amor non est bonus, & erit reus Gehennæ ignis. Amor huiuscemodi est servilis & Eclypticus, habet

bet enim limites quos Deus non recipit, sed vẽdicat sibi ardorem copiosiorem. Similiter, qui convertitur ad Deum, & amat eum, ut vitam æternam consequatur. Et eiusmodi amans in sua cogitatione peribit. hic enim malè amat, màgis se, quàm Deum; nam suam utilitatem, non Dei gloriam considerat. Tu vero diligendus es ardentiore super omnia amore.

Amor tuus Divinam sapit naturam, inde charitas dicitur antiqua & noua, charitas non veterascit, imò secum novitatẽ trahit, non enim tempore metitur, sed semper in novitate Spiritus integra, imò vetera ad novitatem reducit, veteres homines novitate Spiritus imbuit, ideo Deus Amor Ethnicis juvenis pingitur, quia semper eodem ætatis flore viget.

Propterea hoc Præceptum dicitur primum in lege. *Matth.* 22. Novum & maximum Primum quia primas à nobis exigit, Connaturale & congenitum nobis, aut te diligere, aut creaturas. Te pro Objecto habet: quia antequam cœlum & terra fieret, fuit in te & mansit quia tu es Deus ignis.

Adhæc dicitur novum, quia in dies in nobis crescit, quia magis ac magis homo amare in dies desiderat, Novum, quia novo spiritu à te datum Novum, quia Regnum cœlorum promittit. Novum, quia à Pharisæis erat sepultum, & á te resuscitatum. Novum, quia ante in veteri lege uni populo datum, nunc autem omnibus

nibus gentibus. Novum, quia per te Messiam approbatum.

Dicitur & maximum. quia non modo in lege naturæ scripta, sed & in lege gratiæ adimplẽdum. Maximum. Quia omnes virtutes Morales, Cardinales, & Theologicas supergreditur, unde Apostolus, maior est horum Charitas.

Maximum, quia solum sufficit, Qui diligit legem implet, *Rom:* 13. Insuper est universale nemo liber ab eo, non modo in Ecclesia militante, triumphante, sed & patiente.

Maximum. Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum. etiam lapsus. Maximũ. Qui amore ardens melior est peccatoris Pœnitentia, quàm securitate torpens Innocentia.

Et quoniam magnum Præceptum, hem quã multi in hoc Oceano naufragium patiuntur Amoris, & pereunt Hem quam multi malè Deum amant, qui sapientiæ suæ confidunt ut Salomon, viribus ut Samson, Sanctitati ut Filij Dei in Genesi. Mulierum enim conversatio usq; ad cœlum scandala iaculata est, inquit Tertulianus. Et cum eis conversantur liberè. Præterea, ô quam multi ignorant, quod amor Divinus similis Euripo rapidissimo fluvio, qui septies in die, iam sursum iam deorsum decurrit.

Ignorant quàm delicata sit res Amor, nec datur consolationẽ alienam admittentibus, minima occasione, aspectu, sermone, consolatione mundana evanescit, vana cogitatione, & impura debilitatur, & fugit; deserit.

Figura

Figura amoris, Aquæ in principio mundi, mediante firmamento, ab aquis divisæ. *Genes. 1.* quæ super cœlos sunt, ne voluptates utræq; cœlestes, & terrestres invicem concurrerent. Non enim datur, ut inter delicias sæculi, utatur quis delicijs cœlestibus, & donis Spiritus S.

Ideo & tu Domine qui es Deliciũ suavitatum, cœlestium, Mulierem in adulterio deprehēsam, ne aspicere quidem dignatus es. *Matth. 15.* Similiter & Mulierem Chananæam, quæ tetigit fimbriam vestimenti tui, & sanata est, non modo non es allocutus, sed nec nominare voluisti, dicens. Quis me tetigit? & cur? ut nos doceres, *Quod melior sit iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Eccl. 22 Ex earum etenim pulchritudine, & lenocinijs oritur vermis concupiscentiæ, & intrat per fenestras oculorum nostrorum & Cor occupat seu satius depredatur. dicente Propheta. *Oculus meus depredat' est animā meam.* Thren. 51.

Non sine causa Angelus castravit in somnis Abbatem Serenum, & D. Thomæ Doctoris Angelici femora præcinxit (In vitis PP.) ut omnis Concupiscentia ab eis tolleretur, & iam Anielicam vitam deinceps ducerent. Cor etenim quibus delectatur, ijsdem & pascitur. Cor est officina Amoris boni & mali, quæ procedunt ex corde, hæc venustant animam: ideò & tu Creator optime Cor, à nobis exigis dicens. *Fili præbe mihi cor tuum.* Sap. 8. Cor est aurum & argentum nostrum de quo dicitur. Sumite à vobis

ipsis

ipsis redemptionem Domino. Et cur Cor hominis nulla lætitia impleri possit. nisi à solo Deo? ille enim est maior Corde testante quodam. Creasti Cor meum ad te ideò inquietum est sine te, nisi te videat, & amet. Augustin.

Exinde tu mihi Corona Spei, es Domine, & Cruciatus immensus, dolor, insuper Martyrium continuũ flagranti Cordis desiderio. Nam præceptũ tuum tam dulce implere, & in ferventi amore, nec in alto contemplationis gradu persistere possũ. viator in hac misera vita. Eheu me! quoties Originali corruptella oppressus, ad interiora minimè, sed ad exteriora confugere cõpellor factus mihimet ipsi gravis, ac sicut Gygas sub aquis ingemisco & cur? quia desiderabilia mea versa sunt in ruinam. Eheu quando lachrymæ doloris convertentur in lachrymas amoris.

Benè quidam. quia nemo securus amavit, ideo lætos vos esse volo, sed non securos. dixit suis discipulis Pax enim amoris, semper habet sua pericula

Non sine causa Evangelista tuam Incarnationem in terris describens dixit. *Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* Ioan I. & statim subscripsit. *Et vidimus gloriam eius, tanquam vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis*: id est non est cõtaminatus peccatis humanis. O amor, ô vita humana! quam misera? periculis plena! non absimilis Euripo, Taliter Moysi dicis. Exod: 33. Cum pertransierit gloria mea ponam

te in-

te inferamine petra; ut posteriora mea videas? non dicit permanebit gloria mea, videbis me adlibitum, detinebis quantū voles, Quia Deus suos licet visitet & recreet, sed adeò festinè recedit; ut vix liceat eum conspicere, nisi à tergo & quasi iam abeuntem, & licet adsit lætitia, sed non copia, visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo.

Domine Amor tuus magnus labor, ut video amplectitur contraria, negotiosus & otiatur quiescit in amato, & sollicitus est, timet sperando, exasperat mulcendo, torquet delectando, perspicax & cæcus, timor animosus, inquieta quies, placida fatigatio animi, pondus levissimum, machinula ingeniosissima, & investigabili Labyrintho non absimilis, ubi homines dulci vestigio perducuntur vijs diuersissimis. Et sicùt mel quandoq; infigit aculeum, sic amor tuus dolores nobis immittit maximè dumdeserit, absinthium mihi propinat; paucis complectar, continuis aduersitatibus Cor meum consumit. Iam enim accendit, iàm frigefacit, iam magnus iam paruus, benignus, iracundus, viuificat mortificat, iam amat, iam deserit. iam ligat, iam soluit, deniq; semper ambiguus, Magnus, dum intensè accendit Cor; paruus, dum remissus est; benign⁹, dum suauitate replet; iracundus, dum Cor vulnerat. viuificat gratiâ, mortificat amaritudine, dives consolationibus, pauper omnium contemptu, ligat in cælo solvit in mundo; fidelis dum Cor occu-

occupat minimè, dum deserit, & probat.

Contraria ut video propinat, sed quomodo contraria? cùm unus, verus & bonus sit? alias quomodo Amor dicendus cælestis, sed Charitas nunquam euacuatur, dicit Apostolus. Nisi fortè ideò, quia ita suavitate suâ afficit Cor, ut ei omnia etiam contraria & adversa sapiant, & unum ac idem sint, satiùs combinat, & amplectitur.

O quanta vis, & suavitas Amoris, quanta potestas, & dulcedo. Hoc amore accésa Sponsa contrarios ventos in hortum Cordis sui advocat, dicens: *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum.* Cantic: 4. Aquillo est Æquinoctialis rigidus, & asper. Auster verò meridionalis, blandus. Et cur adversos ventos, & quæ erit in adversis dulcedo, advocat? Sed quia est natura amoris, etiam adversa amplecti, & gratanter perferre.

Hanc Amoris naturam, & tu Domine dum Moysi prima vice, in rubo despecta, apparuisti, demõstrasti. Exod 3. Cur non in viridi Cedro? Frondosa Palma, excelsa Libano? Eapropter: quod qui ad te veniunt, & tuum Amorem ambiunt, non est eis opus adscititio colore, sed patientia, bona voluntate, & puro Corde.

Sicut enim Arcus signum belli est, gentibus. *Genes*: 9. In cœlo tamen positus signum pacis & fœderis, inter Deum & homines. Ita tua amaritudo, & fel, signum perpetui amoris, unde di-

ctum. Hic ure, hic ſeca, ut in æternum parcas.
Scio equidem Romanas Virgines litantes Deæ Floræ non adhibuiſſe Myrthum, quia à Viro Myrtheis virgis cæſa fuit, ne vulnera ipſius refricarent, ſi flagra in memoriam reduxiſſent.
Sed non ſic tu Domine facis; etiam tuos dolores tibi renovari jubes, jubes eos commemorari, dicens: *Hæc facite, quotieſcunque feceritis, in meam commemorationẽ*. 1. Corint. 11. id eſt, mortem Domini annuntiabitis.
Ecce dolores amoris in amante anima multiplicas. Sic etenim lex amoris jubet; ut quem amas, acrius tangas. Ne per amorem, in amorem peccetur.
His conſideratis dicendus amor tuus etiamſi quandoque deſerat, gratus labor, vulnus voluptuoſum, felix & deſiderata calamitas.
Fortis deniq; Infernus, & inſuperabilis, ſemper tacitis ſaucians præcordia telis. Sed erroneè forſitan, amorem Inferno comparare præſumo; ſi etenim amantium ſententiam, de amore exquiſiero, hi citra tormentum confitebuntur. Nihil dulciùs amore, nullum amœniorem paradiſũ, nullam dulciorem voluptatem, nullam jucundiorem gloriam, quam oculis poſſumus uſurpare, aut verbis appellare: quàm, quod ames. hiccine eſt Infernus? aſt ideò forſitan, quia apud Inferos, non eſt opus, nec ratio, nec ſapientia. Et velut Inferni pœnæ totas ad ſe rapiunt damnatorum cogitationes, Sic amor amantem ad ſe rapit,
ut ali-

ut alibi non possit, nisi apud eum quem diligit, Corde, & animo versari, & amantem amare.

Quod si eum non nemo Mezentiũ appellet, sed frustra; peccabit in amorem per amorem. *Meliora enim sunt vulnera amantis, quàm oscula blandientiũ.* Prov: 27. Vulnera amoris, sunt amoris veri indicia.

Ideò & ego derelictus vulnerato Corde non clamabo ut Iob. *Manus Domini tetigit me.* Iob 13. sed exultans, dicam vulneraverunt me, & non dolui, percusserunt me, & non sensi. manus tua ut Abrahæ Patris, extensa ad amputandum caput filij Isaac unigeniti, quæ non occidit filium, sed benedictionibus replevit. Sic & te Pater Cœlestis Filium suum dilectum in Iordane, in monte Thabor, & in probroso ligno Crucis crudeliter occisum, & suspensum præclara voce, audiente Angelorum militia nominavit *Matth. 2.* Vt Angelis & hominibus indicaret, eo quemque duriùs in præsenti vita flagellari, quo arctiús amatur.

Idem Amoris mysterium, & Propheta declaravit, dicẽs: *Egredietur Virga de radice Iesse.* Isa. 11. Sensu literali nativitas tua ô Redemptor indicatur temporalis, de Virgine Maria. Sensu verò tropologico. Egressuram virgam de radice Iesse (Iesse enim idem est quod & incendium) id est de incendio amoris tui, egredietur virga correctionis, probationis, & tribulationis. quia quẽ amas castigas. ac sic Cor eius, à terrenis, vanis,

& transitorijs separas. Sepiens spinis tribulationum, viam eius. Quod non facis peccatoribus, dicens: *Misereamur impio,* (id est non puniamus eum) *vt non discat benè agere.* Isai. 27.

Quocirca Domine Deus amor meus. Exuratur igne Paradisus, cum suis delicijs. Extingvatur Gehenna cum suis pœnis æternis & cruciatibus, non sit quod sperem, & timeam: tu etiam nunquam me respicias, sicut statuam abjectam. Imò etsi me occidas, ego tamen te amo, & amabo. Quod si etiam me *deleveris de libro vitæ,* (prout Moyses petijt deleri) & nomen meum, & condemnaveris me, nunquid enim non licet tibi quodvis facere? Ego tamen uti summum bonum meum amo, & amabo: quia tu es Devs & Dominus meus, deliciæ Cordis mei, summe bonus, amabilis, & dulcedinis omnis æternæ pelagus. Essentia infinita, nam factum est (amore tui) *Cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.*

Proinde anima mea considera, & intellige vim charitatis, ipsa est virtus quam nemo vincit, huius ignem nulli fluctus sæculi, nulla flumina tentationum extingvunt, de hac dictum est, valida ut Mors dilectio, quomodo enim Mors quando venit, resisti ei non potest, quibus libet artibus, & medicamentis occurras; violentiam mortis vitare non potes, quia mortalis natus es. Sic contra violentiam charitatis mundus nihil potest, à contrario similitudo data est de morte: quo-

te: quomodo enim Mors ad auferendum violentissima est; Ita Charitas violentissima (liceat quandoque deserat) ad salvandum, & protegendum.

CAPVT XXXVI.

Amor Pharos Spiritualis;

MVltis laudibus celebratur Pharos turris ad littus maris propè Nilum sita, de nocte plena undique lampadibus accensis, iter Nautis de nocte præmonstrans, ut maris pericula evadere possint.

Ast, quæ tam lucida Pharos, plena jam luce cœlesti, ut est Amor Dei: nã quod est Mare magis infidum, & periculis plenũ, quàm hîc mundus, & vita humana: Totus enim mundus in maligno positus. Angelicus verò Doctor dicit, totus mundus in malo igne positus. Amor verò viam ad astra monstrat: dum desideria in nobis accẽdit, excitat, promovet, & tantùm quisque de illo accipit, quantùm desiderat.

Quod si non desinant celebrare Pharũ Nautæ maris ob suum lumen. O quis celebrare satis sufficiat lumen Amoris Dei. Non enim est transiens, sed æternum: non materiale, sed cœleste: non artificiosum, sed supernaturale: non accidentale, sed substantiale. quod est ipse Deus, quod ille ipse demonstrat. *Lumen*, inquam, *quod illumi-*

illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ. Ioan. 1. de quo dicitur. *Et in lumine eius videbimus lumen.* Pſalm: 4.

Lumen inquam æternum, fulgidum, non intermiſtum tenebris, quod à nobis videri deſiderat, lumen inextingvibile, cœleſte, de quo dicitur: *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Matth. 16.

Huius lucis effectus Deum amare, mundum Cor habere, ſæpiùs confiteri, ut ſis pulcher & mundus: qui amat Confeſſionem, amat Animæ decorem. Hoc lumen interiora hominis ſauciat, ac omnia interiora mentis & corporis illuſtrando igne fervoris depaſcitur. O quid hac luce dulciùs, ſuaviùs, optatiùs. (nobis in nocte mortis umbræ mortis viatoribus eſſe potest) habitantibus?

Quod ſi non ſine dolore cordis bonus Thobias ſenex & cœcus, dum eum ſalutaret Archangelus Raphaël, reſpondit: Et quod mihi gaudiũ cùm lucem cœcus non videam? O ſi hic luce materiali deſtitutus, lamentatur.

Eheu quod carmen lugubre, quas næ nias non cantabit, & quas Lamias ſeu Præficas non advocabit miſer peccator? Homo quo nihil eſt craſſius? qui cælo propoſito, & ijs bonis quæ nec oculus vidit, nec auris audivit &c: ore hiante umbras ſtupet, nec vult vitæ præſentis Eurippum traijcere: ſed in perpetuis fluctibus, tempeſtatibus, &

bus, & naufragijs mavult agitari: Considerans suam infelicitatem, & æternam perniciem: an non clamabit? *Salvum me fac Deus, quoniã intraverunt aquæ usque ad animam meam: Veni in altitudinem Maris & tempestas demersit me.* Psal. 68 tempestas Cupiditatum & desideriorum carnalium, phantasmatum huius mundi: demersit me, depressit, & in æternam perniciem detraxit. Nam quo diutiùs vivimus, eò magis terrena, vana, caduca amamus, & desideramus. Cor nostrum ut vas Danaidum, nunquam eis exsaturari potest. nonne hæc est altitudo maris?

Et quis huius maris tempestates, quæ nos obnubilant, demergunt, & interimunt enumerare sufficiet? Qui navigant, enumerant pericula eius. Habet enim suæ inconstantiæ Euripos, abligurientes animas. Avaritiæ Charybdes, latrantes invidiæ caninæ Scyllas, voluptatum Sirenas, hamatiles carinarum Syrtes, & brevia rerum indigentiam. Occasiones malæ spei, promontoria, impietatis continuatæ, ac velut in gyrum circumactæ vortices, vitiorum validissimos affectuum in prava propellentium ventos, dissidiorum ac tumultuum tempestates, habet & alia discrimina, & magis periculosiora, quanto plerisque videntur securiora: & unde tot pericula & discrimina, nisi quia exulant Alcionia: id est amor Dei, & proximi; regnat verò cæcus terrenus, proprius, carnalis: qui dum occupat animas nostras hydropicas facit, segnes, ad nihilum

hilum utiles, cœlestium & æternarum incurias, totas quantas terrenis desiderijs accensas flagrantes, ac Inferis similes, qui sunt insatiabiles.

Hanc tempestatem totum mundum suo igne inflammantem vidit D. Furseus, in aëra ab Angelo sublatus, dum aspexisset terram, vidit totum mundum flammas, sursum ejaculantem; interim quæsivit à Duce viæ, quæ essēt hæ flāmæ, quibus totus mundus flammesceret: & ad instar Ethnæ sursum evomeret? cui Angelus respondit: Has flammas in mundo excitat semper, Concupiscentia carnis, Avaritia, Superbia, & Invidia. His flammis totus mundus perquam maximè ardet, cuius sordes ut Sodomorum usque in cœlum ascendunt. O flammæ infelices, maledictæ, quod mare, quis Tanais, & imbres vos extingvēt? ne ut tempore Diluvij totus mundus pereat: & eò magis, quia has flammas ut delicias totus mundus amplectitur: quas quidam sic descripsit. Quod hic eminet, plus mæroribus afficitur quàm honoribus, gaudet. Honores mutant mores, sed in deteriores. Honor intellectum obcœcat. Et hæc fuit iniquitas Sodomæ, Superbia, avaritia, saturitas panis, ab undantia, & otium ipsius ac filiarū eius. Genes. 9. O infœlices Honores, & splendores! Non sic Sirius, & Alcal stella fixa quam gubernat Venus noxia, & inficit sublunaria atque Concupiscentia, & amor sui.

Quòdsi dixerit aliquis: Potest Deus quos vult

vult sine bonis operibus liberare: quia bonus est. Non potest quenquam damnare, sine demeritis quia iustus est. Sed quid tu miser cogitas! conuerti non vis, nonne homines etiam subito moriuntur, promisit tibi Deus remissionem pœnitenti, sed securitatem non promisit diu vivendi: unde dictũ: Vive hodie, sera est dies crastina.

Sed quis Argus pericula hominis cernere potest, maximè dum se naui firma, mari trãquillo vitæ humanæ nauigare, vento secundo fortunæ etiam astris faventibus benedictionis Divinæ, remigibus peritis scientiarum, etiam portum vitæ in conspectu positum habenti. Qualiter Epulo diues nauem traxit. *Lucæ 12.*

Ast considera quo eum detulit eius navis, & directio inconsiderata. Sepultus est In inferno ac aquæ guttam petijt, gubernator laudandus ob divitias: & splendorẽ: nonne ei dictum Fili recepisti bona in vita tua.

Et nec tantùm habet periculi insidum mare, quantùm hic mundus, Periculum probat, trãseuntium raritas, & pereuntium multitudo. In Mari Massiliæ de quatuor nauibus, non perit vna, in mari verò huius mundi, de quatuor animabus, vix salvatur vna. Benè monet D. Augustinus. *Amas sæculum absorbebit te, amatores suos vorare novit non portare*, vnde dictum. *Multi vocati pauci electi.* Matt. 1. Eapropter & Electi in timore & tremore hoc mare enavigare cõsveverũt, prout S. Amandus exterritus, viso Angelo rogavit,

Non me deseras Patrone mi amantissime. Quem & mater iam mortua superueniens consolata est, osculando caput eius, admonuit his verbis, Quaeso te fili mi dilige omnipotentem Deum, & certus sis, quod te ille nunquam deseret, qualicunq; necessitate laborantem. En ego ex hoc seculo migraui, nec tamen morte secunda mortua sum sed vivo, & perenniter viuā apud Deū. Et, cur sic allocuta? cur cōsolata dilectū Deo? Ne de sua salute dubitaret, & de gratia Dei, quamdiu in hoc mari (vitæ humanæ) periculoso navigaret & eius fluctibus iactaretur.

Mare vel maximè Nautas absorbet scopulis latentibus. O quot hic mundus interemit, iam de sua salute securos, ut illum Eremitam, iam iam moriturum, qui sic ut ipse vixit, alios vivere docuit, & malo fine quievit; Præsumptio eius nauem absorbuit.

Ratio huius, quia bonæ & malæ voluntates Deo militant, id est permulti boni à principio, at postea mali evaserunt ut Lucifer Nicolaus, Ochinus, & per multi alij. Similiter & ę contra. Si quæras audacter; Cur ergo creati, qui erant futuri mali? Respondet doctissimus Hieronymus. Quia in creatione, erant boni, Deus enim præsentia spectat, non futura. Hos scopulos non euasit Rex Asa à principio optimus, qui fecit quod bonum & placitum erat in conspectu Dei sui, subuertit altaria peregrini cultus. 3. *Reg.* 15. Et tamen hic optimus, priorem laudem in fine vitæ deturpauit,. Trigin-

ta annis, hic optimorum regum exemplar, tandem lapsus, & malo fine quievit. Contra Manasses impijssimus, 2. *Paralip. cap. 33.* qui totam vitam sceleribus infecit, tandem ad Cor redijt, & principia pessima nobili fine coronavit, de quo ita D. Hieronym⁹. Si Manasses gratiam invenit apud Deum, Credo etiam ipsum Dæmonem (modo vellet resipisci) inventurum.

Sed dum hæc miser peccator considero, cur hoc mare quidam secundis ventis enavigent, alij submerguntur & pereunt.

Non possum aliter concludere, & asserere; nisi quia hic mundus infidum Mare. Exemplo sumpto de Saule & Davide ambo Reges, Viri optimi, non erat Vir melior Saule: ambo lapsi, 2. *Reg. 1.* Vterq; peccauit, uterq; punitus, sed eventu diversissimo. Et cur sic: alter hoc mare enatavit, alter perijt.

Similiter Pincerna & Pistor Pharaonis uterque accusatus, incarceratus, ambo socij, alter suspendio perijt alter suo statui & gratiæ restitutus. *Genes: 40.*

Sed quo tandem cimbam mentis meæ hic fluctus maris periculorum vitæ abripuit? Ignes Furseo ostensos quomodo extingvā? quas aquas petam? Sed non alias nisi Spiritus Sancti, de quibus Ioannes. *Si quis sitit veniat ad me, & fluenta aquæ vivæ de ventre eius fluent.* Ioan. 17. Et prout Magnes penes adamantem positus omnē suam amittit virtutem, Ita ignis Concupiscen-

tiæ

tiæ oculorum & Carnis, ab amore Dei prorsus extinguitur & supprimitur.

CAPVT XXXVII.

Amor Promontorium bonæ spei.

QVanti valoris, & excellentiæ amor sit, & eius merita patet in Petrò, hic audacter dixit. Domine etiamsi mori tecum necesse fuerit, non te negabo. audacter amputauit auriculam Malcho servò Pontificis. Sed brevi ad ignem obriguit, ad vocem ancillæ naufragium passus, negavit ter Christum, & peieravit, dicens, non novi hominem: Et quid verò Dominus, respexit Petrum, & cor eius frigidum illuminavit: minimè offensus eius negatione. Petrus egressus foras amarè flevit. Sed cur exivit foras? nisi quia in Aulis principum Veritas iacturam facilè patitur. Non mirum quia Arsenius, Similius septennis vetulus Senator Romanus honoribus valedixit, Carolus Imperator, imò & Kadłubkus Episcopus similiter fecerunt, vetus etenim dictum. Exeat ab aula qui volet esse pius. Non sine causa & Petri fidem ter Dominus probavit excitans amorem eius, Petre amas me. & tunc subiunxit. Pasce Oues meas. *Ioan: 20.*

Quid est pasce oves, id est labora; ministerium tuum imple; amorem meum, & mutuam charitatem omnibus recōmenda.

Pasce Oues meas, vigilans esto, observa lupos, in vestimentis ovium venientes, Pasce oves meas. *Lucæ 10.* Noli omni Spiritui credere, sed proba Spiritus an ex Deo sint, quandoqꝫ enim & Satan transformat se in Angelum lucis. Dum bonum opus fraudulenter prætenditur ; ast non opus bonum, sed aliud malum intenditur.

Amor carnalis, & sui ipsius has Intentiones nobis suggerit. Videlicet furari diviti, ut des Eleemosynam pauperi. Defraudare proximum, ut nudum vestias, Rapere aliena, & Missas pro illis dicere. opprimere pupillos, & Viduas, subditos, & ædificare Ecclesiam ; spoliare bonis miseros, ut possis ditare Xenodochia ; Paulò longiùs orare, ut videare pius, ecce hypocrisis. Ieiunare ut fortiùs bibas ; utqꝫ ab alijs laudē recipias. Vsuras exigere honesto titulo, ut piā Fūdationem facias. Tales, & similes his Intentiones, malæ, bono operi adiunctæ, quæ tamen nunquā bonum opus efficiunt, nec malum in bonum cōmutare possunt. Verùm hæc, & similia mala generat in nobis neglectus veri Amoris. Vnde Augustinus monet, Amate Scientiā ; sed anteponite charitatem. Idq; ideò, quia non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non agit perperam, Imò minima opera facit meritoria, velutī dum Eremita pro aqua haurienda longius iter ambulauit. Angelus pedetriba, eius vestigia numeravit. Palladio similiter de suis meritis & salute dubitanti ; instinctu Diaboli. Respondit

Macha-

Macharius, dic inquit. Quia amore Dei custodio parietes Ecclesiæ. Ecce meritum ipsa Residentia penes Ecclesiam.

Similiter & S. Gertrudem docuit Christus, ut sua omnia opera minutatim, cogitationes, lectiones scripturas, etiam gressus ad Ecclesiam, in domo, imò & anhelitꝰ diurnos & nocturnos sibi consecraret, & cur? ut maius meritum habere posset, quo enim frequentiores Intentiones aliquis Deo offert, Eò maiora merita colligit, & congregat. Eiusmodi thesauros gratiarum promittit Dominus, dicens. Ego in via Iustitiæ ambulo, & in medio semitarum iudicij, ut ditem diligentes me, &thesauros eorū repleā, *Prouer: 10.* Et qui sunt & quāti hi thesauri quibꝰ Deus promittit se repleturū, ita, ut ex pauperrimo Iro, Cræsus cælestis efficiatur: & omnis gratiæ ac dulcedinis plenus.

Easdem amoris divitias dulcedinis insinuat Psalmista. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Dñe quam abscondisti timentibꝰ te, *Psal. 30.* O si timentibus: quantos daturum speras amantibus se.

Amor namque est nexus, quo ad invicē omnia coniunguntur. Fons amoris radix dilectionis. Mel & lac amantis labia, favus distillans sub lingva eius. Sapiēt. 24. Spiritus eius dulcis, & hæreditas super mel & favum.

Exinde nostris affectibus suaviter indulcescit, nam in eum dulcis Dominus, cum omni sua dulcedine

cedine supervenit, habitat prout promisit Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in illo. Ioan. 15.

Sed non modò mellis & lactis dulcedini assimilandus amor, verùm & Terræ promissionis, de qua dicit. Possidete terram quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem melle & lacte. *Levit: 20.* Et sicut terræ dulcedinem cognoscere licuit ex uvæ dulcedine; sic & Amorem ex eius effectu. Et prout Solem ex ejus splendore, adesse cognoscimus, sic ex affectus dulcedine amorem. Dulcis est Dominus IESVS, dulcis & eius Amor dulcedinis ratio, quia animã diligentem totam Deus replet gratiâ Spiritus S. ac totam incandescere facit, ita, ut nil in ea possit violare mundanus affectus. Amor est ardor continuus & ebrietas profusi amoris: quia in illa est Dominus.

Hoc amore D. Franciscus incanduit, ita, ut tota vita Cor eius arderet, unde & Seraphicus dictus. Hoc amore ebrius Dominus noster IESVS Redemptor nudus in Crucis patibulo (alter Noë) pependit, nec mirum quod à quibusdam dicatur amor ebrietas & mera insania. Et ideò etiam qui Christum non amat, indignum se omni beneficio damnat, vota sua fallit, vanus satiùs dicendus adulator, & non laudator syncerus. O nos insensatos! in se ipsos impios. & jam planè obstinatos dum sine amore vivimus. Nam nemo intelligit, nemo capit, quanta DEUS suis

dilectis

dilectis quotidie beneficia conferat, nisi quem devota experientia informat. Et ideò prudenter quidam dixit. Quod infra diligitur, id & supra: Si vis ergo amari à Deo, præsta te amabilem hominibus in terris Super quem Spiritus hominum requiescet, super hunc & Spiritus Dei. In pectore amantis amor Spiritus S. singulariter ardet, ideò etiam mirabilia facit, cogitat, noctes diesque in lege Domini meditatur, & ignem retinere, & fovere possit. juxta quod scriptum. Et erit ante te pendens vita tua, & non credes vitæ tuæ. *Deut. 28.*

O Benignissime Domine IESV Christe Amor immense frange & mollifica Cor meum, ut si ad alium non valet elevari, saltem ad purum amorem sensibilem flectatur, scilicet ad benedictam Carnem tuam; & ad illa quæ in Carne gessisti, vel jussisti, omnia libenter audiam, frequenter recolam, suaviter mediter. O benignissime Domine per amorem tuum vita carnalis excludatur, & vita spiritualis perficiatur.

CAPVT XXXVIII.

Amor, portus Salutis.

O Misericordissime Domine IESV Christe, causa diligendi te, tu ipse es. Et diligendi modus sine modo: quia cùm infinitè bonus sis, & omnis modus noster diligendi finitus, diligendus

es su-

es supra omnem modum. Infinitum namque, verè amantium amor, meritus es de nobis quia nobis immeritis teipsum dedisti. Tu es causa efficiens, & finalis amoris & dilectionis, ut occasionem habeas glorificandi nos, occasionem das, tu affectationē creas, desideriū consummas. Tuus amor amorem nostrum præparat, & remunerat; præcedit benignus, expectatur suavius. Se dat in meritum, servat in præmium.

Ideò & nos miseri & pusilli ob amoris tui memoriam & præsentiam Imagines tuas in pectore nostro portamus Crucifixi & B. V. M.

Si etenim quondam Ethnici Imagines Fortunæ amoris ergo, de collo pendulas, in eius honorem & favorem portabant. Eheu, quid decet nos Christianos? cùm edocti simus magnorum Regum exēplis, sicut Heraclius Rex cum Cosroa pugnaturus Imaginem B. V. Mariæ secū habuit: & gloriosam victoriā reportavit: Rex verò Israëlitarum Ioachim quoddam Idolum adamavit, cuius figuras & plagas in suo corpore in eius memoriam, & nomen eius suo pectori inscriptum portavit. *Paralip. 30.* Tu enim es tabernaculum cœleste, prout legimus. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea, ad habitandum nobiscum. *Exod. 26* Tuus amor sagitta electa quæ amantem conficit, ita, ut nulla pars in ea amore vacua remaneat, sed tota anima inardescat. Et exinde paradisus deliciarum dicatur: quid enim amore

dulciùs, ſuaviùs excogitari poteſt: non modo in terra, ſed etiam in cœlo, de quo Sponſa. Emiſſiones tuæ paradiſus malorũ pũnicorũ. *Cant.* 4. Et non ſolùm paradiſus, verùm etiam ignis cœleſtis, prout ſcriptum. Producam ignem in medio tui, qui comedat te. *Ezech.* 28 De quo igne & Salvator ait. Ignem veni mittere, & quid volo niſi ut ardeat *Luc.* 12. O utinam hic ignis cælitus promiſſus, & Corda noſtra inflammaret. Et maximè ideò, quia amor ex ſua natura eſt reciprocus, nam Deus qui eſt ſummè bonus, & diligibilis, non patitur ſe ab aliquo diligi, quin viciſſim non redamet, & amoris affectu proſequatur. Quid ſi quæras & cur ita? quia ſummè bonus. Amor enim eſt omnium cælorum negotium; deſideriorum ſcopus, divinorũ ac humanorum affectuũ terminus. Ille eſt profundorum divinæ incomprænhenſibilitatis declaratio: hic eſt ſcopus excogitatus ante ſæcula, ideò omnes ad ſe vocat dicens. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, in me omnis gratia vitæ & veritatis. *Eccleſ.* 24. Ille eſt abyſſus myſteriorum Dei abſconditorum, nec mirum quia teſte Dionyſio nos Deificos facit, inde & S. Franciſcus, magis divinus quàm humanus. à quibuſdam & Chriſtus vocatur, ſed ſine divinitate.

Inſuper & ſacra inſania atq; ebrietas à Bernardo dicitur, quia meditantem de amore fortiter, inebriat, dum in nobis mirabilem ſirim ſanctitatis & perfectionis excitat. O quàm multi hoc mu-

hoc musto inebriati clamarunt. Satis jam est ô Domine. O dulcedo, ò Amor. Infixus in tabula Cordis mei Amor tuus, Vulnerasti Cor meum, præ amore tuo hæreo, nam excordiasti me, per amorem tuum longum desponsamur in ævum; insuper quotidie morior *ad Corint.* 5.

Fabulantur Poëtæ Proserpinam suo cantu perquam dulci (alterum Orphæum) sylvas, saxa, & arbores ad se pellexisse, flumina, volucres vagas retardasse & detinuisse. Sed nullus tàm suaviter movere & remorari potest, & ad se corda nostra pellicere ut Amor, & amoris Domini dulcedo. Amoris Cantus & suavitates quis exprimere potest? Audivit eas miræ dulcedinis plenas D. Amandus cantilenas Angelicas, ad amorem excitantes cælestem, quæ non modò Cor flectere, verùm etiam excordiare possent, & mirificè gavisus est, atq; extra se raptus toties clamabat: Vulnerasti Cor meum ó Deus meus, ô amor meus.

Similiter amore tactum Cor S. Mechtildis, cantabat in Choro perquam suaviter, videbaturque omnem illum Cantum de Corde Christi trahere, quem & ipse Dominus probavit annuens & dicens. Sicut tu modo flatum tuum ex corde meo trahere videris, sic omnis meamans, si ad me desiderando suspiraverit, non de suo, sed de meo Divino corde spiramẽtũ trahet. Et sicut follis, qui in se nullum continet flatum nisi quantum ex aëre traxerit; O Amor Domini mei

mirifice, quomodo cælitùs nos ingrederis interiora distendis nostra, & potentia tua Spiritum nostrum inflammas. O vtinam & interiora mea amore saucias, & torpentis iecoris medullas flā-mis salutaribus penetrando inflammes, atque sancti fervoris igne illustrando omnia interiora mea depascas. Iam enim exinde intelligimus, quod Amor nóster amore Dei excitatur, quo movente & trahente homo exuit omnem ad sensum rationem, intelligentiam, & relationem Deus amoris prima causa, bonitatis rerum, nec mirum quia alia alijs meliùs diligit. Et quodlibet eò est meliùs, quò Deo similiùs. Sic meliùs Petrum diligit quàm Linum, Petrum dilectionis fervore, Ioannem quadam familiaritatis benevolentia, & non vult omnibus æquale bonum, diligit ut sunt digna dilectione. plus diligit Angelum respectu donorum naturalium, respectu reparationis naturæ humanæ hominem, aliquando utrumq; respectu gratiæ & gloriæ, aliquando plus Angelos, aliquando æqualiter, cùm eadem sit mensura Angeli & hominis. Apoc: 7.

Sed quoniam tempestas maris huius mundi demersit nos quàm plurimos, Concupiscentia Carnis & oculorum, ideò perquam paucos hic Amoris cantus, & hoc melos dulce cæleste excitat, tangit, & penetrat, ac ad se allicit. O miseri homines quo vos cōpellabo nomine, dicamnè homines, an saxa, arbores, & feras, cum corda nostra saxis & feris duriora flecti nescia, ad

suum

ſuum bonum, centrum, & finem. id eſt ad amorem Dei. Amor ſiquidem diſcernit filios Dei, à filijs Diaboli? quibus igitur amoribus Cor noſtrum conſecrabimus, quæ Circe venefica amor carnalis in jumenta depreſſit nos, quos excitat Pſalmiſta *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus*. Pſal. 31. O millies miſeri guſtemus & videam⁹ quàm ſuavis eſt Diminus, Pſ. 33. videlicet Amor eius. Amor in homine regnans ſuperos conciliat, & perennat, eſtq; via per quam gradientes unus Spiritus cum DEO efficimur. Eſt hominis ſurſum Cor habentis, proficientis in Deum voluntatis perfectio, tum vel maximè, cùm jam id vult, quod & Deus: idem, non ſolùm affectu, ſed etiam effectu, imò etiam in affectu, profectu, ut non poſſit velle niſi quod Deus vult: hoc eſt idem eſſe quod Deus eſt, cùm jam velle & eſſe idipſum ſit utriuſque: hunc amorem expreſſius declarans Dionyſius dixit Quia amor nos Deificos facit. quod idem docet & Magnus Baſilius. nec mirum, quia Amor amantem extra ſe ponit, & quodammodo mutat in alium, imò amantis Cordis malagma: dum ei alcedonia perpetua confert. Et meritò, quia amans in veſtibulo Dei habitat, qui ſuam voluntatem Dei accommodat voluntati.

Hunc tam perfectum amorem quotidie S. Gertrudis à Deo trecentis orationibus, ſimiliter quoq; & S. Bartholomæus obnixè recitatis expetijt.

O Amorem! o fervorem amantium Deum! qui amat, onus non sentit, labores non reputat, plus affectat quam valet, de impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi possibilia arbitratur.

Mirandum quod vidit. *Ezechiel*: & supra captum humanum, videlicet Bouem in cælorum excelsa sublatum, & in Herub speciem transformatum, & quæ est hæc visio? quod mysterium eius: bovem non in simplicem Angelum, aut Archangelum transformatum? nisi fortè ut cognoscamus homines quam supra nos miseros judiciorum Dei abyssus multa, qui tanquam pecora inter stercora peccatorum computruimus, in spem erigit, afflictos consolatur: nil esse impossibile apud omnipotentem Deum. Et cur nostræ voluntates & corda auersantur Dei amoré: nam qualis voluntas talis voluptas. quem quotidie vocamus Patrem: & ille vicissim nobis loquitur Filios enutrivi & ipsi spreverunt me. Ecce non dedignatur filios nos vocare, nisi ideò, quia amorem nostrum exposcit, & Cordi ac voluptati dominari vult & desiderat. *Isai. 1.*

Vt homo secum sæpesæpiùs recogitet, quia qui potēs est, ex lapidib⁹ potest filios Abrahæ excitare. *Matth. 3.* Potest homines & iumenta saluare *Psalm. 35.* Potens & nos filios etsi prodigos, iam perditos, iam mortuos, ad vitam meliorem id est Amoris sui revocare. Sed nescio miserrimus homo, quomodo Cor nostrũ amori Dei consecrari possit? quod creaturarũ salsitate

plena.

plenarum vanitas obnubilat, & excæcat. Excæcat ingratitudine, qua nil terra fert gravius. & maximè dum datum aſpicimus; non Datorem. qui amari deſiderat à nobis, & voluntatem ſigni in Decalogo expreſſit, hanc & Spiritus S. nos amplecti jubet ac deſiderat, prout Scriptura teſtatur: Ad invidiam provocat Spiritus, majorem autem dat gratiam reſipiſcentibus, & pænitentibus. Æmulatur Spiritus S Spiritum carnis, & Concupiſcentiæ, ideò nos excitat, accendit ad reſipiſcendum & pœnitendum. Pœnitentia enim licet ſit infælicium remedium, ſummè eſt neceſſaria. & excedit innocentiam.

Nonne tempore diluvij tot fuêre innumerabiles ferè innocentes ſed quia defuerunt pœnitentes, non erat qui placaret iram Dei, ideò omnes ſublati ſunt: Sodomæ ſimiliter nonne fuerunt innocentes? Sed quia decem ſaltem non fuerunt, iuſti ſeu pœnitentes, ideò omnes cœleſtis ignis abſumpſit. Nos miſeros, quæ remora detinet, quia ad pœnitendum tardi ſumus? nōne cuiq; ſua mora nociva. Nonne in imagine pertranſit homo. Nonne hæc humana ſunt ſomnia. *Pſal. 38.* (ut Nabuchodonoſoris arbor), vana: inſtar vmbellæ Ionæ. *Dangel. 2.*

O nos miſeros quos nec clamor Inferorum excitat ad pœnitendum & amorem Dei dicentium. Nos inſenſati aberravimus à via veritatis. *Ionæ. 6.* Vitam illorū æſtimabamus inſaniā, & finem illorū ſine honore, Ecce quomodo cō-

putati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est: Vtinam cogitare & cognoscere nobis liceret nostram infælicitatem, non esset periculosius Mare nostra vita humana. O quam rarus illud timet, prout Divus Casimirus orans Deiparam, dicebat. Commendare me dignare CHRISTO tuo filio. Vt non cadam, sed evadam de mundi naufragio. O miser homo, ecce tuus portus Amor. Si amas Christum evadis pericula mundi. Si amas, iam terrenus evadis in cœlestem, nam humano Spiritu animatum, Spiritus amoris vivificat in divinum; & sic eum totum tollit ad Deum: ut in eo quicquid peccati, mortalitatis, laboris terrenum nihil relinquat. Sed non gratis. Nam nunquam humanus affectus ad æternitatis desiderium perfectè inflammatur, nunquam humanus intellectus ad æternorum contemplationem plenè acuitur; nisi carnis cura, etiam in rebus licitis, multumq; necessarijs frequenter fortiterq; repellatur. nam quò plus caro premitur, eò de cœlesti spe animus magis lætatur. Quod nobis insinuat Redemptor. *Regnum cœlorum vim patitur; & violenti rapiunt illud.* Matth. 12. quod explicans Chrisostomus ait. Grandis violentia nasci in terra, & cælum rapere, & habere per virtutem, quod non possumus habere per naturã. O utinam hæc saperemus, & novissima nostra provideremus. *Deut. 32.* Sed multi fortassè dicent. La-

ttonem parva pœnitentia cœlum rapuisse. Sed necesse etiam recogitare. quod Privilegium personale, non facit Ius generale; quia personam sequitur. Et tu miser vis cœlum intrare cum sis pedester. Nonne pœnitentia sera, rarò vera. imo lutum luto vis extergere. Cur non satiùs tempestivè lapsus viam docet, qua de lapsu erigatur. O nos insensatos & miseros, ignoramus quia talis seipsum amat, & quærit, & ab amore & gratia Dei longè exulat; nec dignus dici amator Dei: quia licet sit bonus homo, sed latera eius navis habet mala: quia ad voluntatem non vult stare dilecti. Amantem verò oportet omnia dura & amara prupter dilectum libenter amplecti, nec ob contraria accidentia ab illo deflecti. O quam nos miseri, excæcati, quia nauem nostram debilis gubernator regit. Amor sui. Tales rursum Christum crucifigunt. *Hebr. 6.* nam nolunt adimplere quæ desunt passionum Christi. *Coloss. 24.* O Domine iube nos super aquas miseriæ humanæ ad te venire. Omnia enim nostra fluctuant, non secus ac in tempestate maris, tu sustine, & gressus nostros dirige, ad te clamamus. Salua nos, quia perimus. *Matth. 8.*

CONCLVSIO.

O Amor dulcissime Domine IESV Christe, qui dixisti. Iugum meum suave, & onus meum leve: id est, amare te veraciter & diligere summè suave & leve, sed indica mihi misero,

Cur Cor meum repulſam patitur ab amore tuo. Ecce ante te omne deſiderium meum, & gemitꝰ meus à te non eſt abſconditus. Nam tota nocte vitæ meæ amorem tuum depereo, de illo cogitans, & ſcribens & nihil cæpi. Invocavi te & non reſpondes mihi. Quæſivi (prout Sponſa) & non inveni. Cor meum ut vaſa Belidum ſemper vacuum, ſemper (ut Tantalus captat fugacia poma) jejunum. Vnde proh dolor tanquam alter Samſon, ſeptiformis Spiritus S. dona, quaſi ſeptem crines amiſiſſe me defleo, & effoſſis oculis non frontis, ſed cordis aurarum ſæcularium molam volvo. Quid igitur ultra miſer faciam? Plorabo die ac nocte, ita, ut lachrymæ ſint in maxillis meis. Nam ubi portus putabatur, naufragium paſſus ſum. Eheu! quæ Clio lachrymas & nænias lugubres ſuper miſeriam meam ſuſcitabit? deplorandis malis meis nec Hieremias modum inveniſſet, quanto lachrymarum profluvio, quanto lamentorũ ejulatu, quanto planctu lugere poſſit? Plorabo miſer, antequam vadam ex hac lachrymarum valle, ad terram tenebroſam & miſeriæ, ubi ſempiternus horror inhabitat. Nam ecce jam eijcis me à facie tua, excludis Orationem meam à te? Conſumere me vis peccatis adoleſcẽtiæ meæ? aut redijt in memoriam iniquitas Patris ac matris meæ in conſpectu tuo? Sed ſufficit diei malitia ſua. Obſecro igitur Domine miſericors, cuius miſericordiarũ non eſt numerus, miſerere miſero. Et ſicut ad-

preces Nehemiæ aquam crassam in ignem convertisti. Sic converte amorem meum imperfectum in timorem. Confige timore tuo carnes meas. Terreat me semper formido tua. Sint mihi pro flagro fluctus iræ tuæ, terrorem inijce, attollantur tribulationum undæ, navigii minæ, id est, corporis debilitates ac miseriæ intententur, iactentur undique scaphæ, adversitatum. Mors ostentetur, mortis expectatione paveam, pendeat in terrore & tremore vita, & spes mea, terreri volo ut non peream: non occidi. inquit S. Basilius

ELENCHVS CAPITVM.

Cap.

ELENCHVS CAPITVM.

INDEX
RERVM NOTABILIORVM.

FINIS.

Theologia
Mystica